
V
B. J
G



TRACTATUS THEOLOGICUS

DOGMATICO-HISTORICO-CRITICO-SCHOLASTICUS

DE

RE SACRAMENTARIA

IN COMMUNI

ET IN PARTICULARI

JUXTA MENTEM

S. THOMÆ ANGELICI

ECCLESIÆ DOCTORIS

PER

R. A. P. S. T. PRÆSENTATUM

ALBERTUM KRECZMAN

ORDINIS PRÆDICATORUM

Usibus Scholarum Thomisticarum

ACCOMMODATUS.



VILNÆ

TYPIS S. R. M. & REIPUBLICÆ

Apud PP. Scholar: Piar: A. D. 1781.

LICENTIA
A. R. P. PROVINCIALIS

Fr. Vincentius Downarowicz S. T. Magr: Prior Provincialis Provinciæ Lithvanæ S. Angeli Custodis Ordinis Prædicatorum.

Præsentium tenore, Nostriq; authoritate Officii, facultatem damus typis imprimendi Tractatum Theologicum Dogmatico-Historico-Critico-Scholasticum *de Re Sacramentaria* à R. A. P. Præsentato Fr. Alberto Kreczman elucubratum, præviâ tamen censurâ Theologorum Ordinis, & servatis cæteris de jure servandis. Et hoc in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen. In quorum fidem cum Sigillo Officii Nostri manum propriam apposuimus. Datum in Conventu nostro majori Vilnensi S. Spiritûs Anno 1781. Die 18. Martii.

Conservus in Domino

Fr. VINCENTIUS
Mgr: Prvlis qui supra mppr.

L.S.

Reg. Pag. 138.

Fr: Leo Lawdanski
S. T. L. Prior Rgmtus & Socius
mppr.



APPROBATIO
THEOLOGORUM ORDINIS.

Ex speciali deputatione A. R. Patris VINCENTII DOWNAROWICZ S. T. Magistri Prioris Provincialis Tractatum Theologicum Historico-Critico-Dogmatico-Scholasticum De Re Sacramentaria *à R. A. Patre Alberto Kreczman S. T. Præsentato laboriose ac sapienter conscriptum, eâ, qua par est, diligentiâ, legi, atq; probè intellexi omnia, quæcunq; in eo scripta sunt ad doctrinam & utilitatem Adolescentum Nostrorum, ac etiam aliorum scripta esse. Quamobrem ut prælô mandetur, si iis, ad quos de jure spectat, ita videbitur, eò libentius judico, quo nedum Authoris fœtus visus est mihi dignissimus, verum & maximé, quia nihil habet fidei Catholicæ adversum, nihil bonis moribus noxium, nihilq; doctrinæ Thomisticæ contrarium. Datum Vilnæ ad Ædes S. Spiritûs Ordinis Prædicatorum D. 20. Martii 1781.*

Fr: Justinus ROSTKOWSKI
S. T. Præsentatus Regens 1mus Studii Grlis Vilnensis, ejusdem Conventus & Ordinis.

De Mandato A. R. P, Mgri Provincialis, legi *Tractatum Theologicum, Dogmatico-Historico-Critico-Scholasticum, De Re SACRAMENTARIA* per R. A. P. S. T. Præsentatum Albertum KRECZMAN elaboratum, legendo nil deprehendi quod Catholicum Dogma vel mores offendat, quinimo ea strenuè propugnat per testimonia Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, *&c.* nec non per historiam Ecclesiasticam, ideoq; tanquam perutilem, luce publica dignum censeo. Vilnæ ad S. Spiritum Annô 1781. Martii 20.

Fr: RAPHAEL JANUSZKIEWICZ
S. T. Præsentatus Regens 2dus Ordinis Prædicatorum.
mppr.

CENSURA ORDINARIA.

Tractatum Theologicum Dogmatico-Historico-Critico-Scholasticum *De Re Sacramentaria* &c. usibus Scholarum Thomisticarum accommodatum typis mandari posse censeo. Datt: In Ædibus Seminarii die 21. Martii Anno 1781.

HUSSARZEWSKI
Congr: Miss:



IMPRIMATUR

Datt: Vilnæ in Cancellaria Consistoriali Anno Dni 1781. die 21. Mensis Martii.

PETRUS Samson TOCZYŁOWSKI
Cantor Prælatus Cath: & Offic: Generalis Vilnensis.

mppr.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Consectariorum, & aliorum titulorum, qui in hoc tractatu de re Sacramentaria continentur.

§ I.

Ar-

Pe-

Ar-



ERRATA TYPI ITA EMENDANDA.

In Proemio.

Pag.	ver.	Errores.	Corrige
1.	7.	fi	si.

In Tractatu.

9	4.	*diſtinguitur*	*diſtingvitur*
11	6	*qaam*	*quam*
	15	mnndi	mundi
17	13	*Antidito*	*Antidoto*
20	26	loqvuntur	loquuntur
28	1	*forma*	*formæ*
34	18	accomomdatis	accommodatis
40	1	e	ſe
41	13	qvod	quod
42	17	Eccleſia	Eccleſia
	23	ſectarontur	ſectarentur
48	13	ſuaſoribus	ſvaſoribus
50	24	perſuaſio	perſvaſio
	20	*contind ſangvis*	*continuò ſangvis*
	25	*Chryſtomi*	*Chryſoſtomi*
59	13	ſanguinem	ſangvinem
	19	ſanguinem	ſangvinem
76	20	*petpetuus*	*perpetuus*
77	5	*Chyſoſtomi*	*Chryſoſtomi*
78	27	batptiſmatis	baptiſmatis
79	2	*lovacro*	*lavacro*
99	28	pro	hincq;
108	23	Conrint	Corint.
109	5	intel igitur	intelligitur
111	18	Secerdotio	Sacerdotio
124	1	Epiſcopns	Epiſcopus
126	17	*Chryſoſtomss*	*Chryſoſtomus*
311	19	quod	quid
134	9	ſubſeqvuntur	ſubſequuntur
135	10	*ſacraſici*	*ſacrificii*
	14	Catechilmus	Catechiſmus
137	20	loqvuntur	loquuntur
138	5	Eccleſiœ	Eccleſiæ
142	26	circimcumſtantiis	circumſtantiis
146	22	Eccleſiæ	Eccleſiæ

178	1	*fil i*	*filii*
190	15	etima	etiam
204	14	*immponatur*	*imponatur*
206	5	ſchiſmate	ſchiſmate
210	2	oecumenium	oecumenicum
211	16	ſedeturi	ſedaturi
221	19	æ iiſſe	fuiſſe
	20	f tat	ætat.
236	6	*unguenti*	*ungventi*
249	9	Spriritum	Spiritum
250	21	unguenti	ungventi
280	25	*Diſcipuli*	*Diſcipulis*
284	1	*ut pote*	*utpote*
326	18	Eccleſiis	Eccleſiis
341	15	Conſuetudo	conſvetudo
	23	*conſuetudinem*	*conſvetudinem*
343	22	conſuetudo	conſvetudo
371	25	Chriſtr	Chriſti
374	24	ſiquidem	ſiquidem
375	4	ſtatua	ſtatu
386	7	qua	quæ
402	27	*perſuaſum*	*perſvaſum*
403	24	Religioſos	Religioſas
408	24	ſuadetq;	ſvadetq;
429	7	ſuaſione	ſvaſione
	24	publicæ	publicè
444	14	*Giudonem*	*Gvidonem*
454	28	ræſertim	præſertim.

Cetera minoris notæ errata quæ irrepsére, per temetipſum lector benevole corrige.

LAUS DEO.

PROEMIUM.

Cùm Ecclesiæ Sacramenta, non ex earum rerum Theologicarum numero sint, quæ nuda cognitione atq; æstimatione à Theologis attinguntur, qualia sunt cætera penè omnia; sed in exercitatione quoq; & actione consistunt, quo fit, ut si quæ falsa de iis opinio animo sedeat ex mentis errore, actionis quoq; & administrationis Sacramentalis vitium necessario consequatur, atq; ita in cassum abeant, aut etiam, quod pejus est, in damnationem cedant, quæ ad fidelium salutem sunt instituta. Fac vg. falsa circa Incarnationem, aut Trinitatem opinione aliquem infici; grande quidem id scelus, si hæresi jungatur, at quidquid ille animô deliret, DEUS nihilosecius in se trinus erit, & unus, Christus homo = DEUS, nec quidquam internæ Mysteriorum illorum integritatì officiet mentis error. Fac quempiam de gratia & prædestinatione pravè sentire; modo nè pertinaciam addat errori, prædestinationis & gratiæ fructus perindè percipiet, nec Divinæ liberalitati in se ponet obicem humanæ

mentis aberratio. Cujus rei exemplum dederunt V ſæculo Maſſilienſes, quorum de gratia & prædeſtinatione ſpiſſos errores damnat Eccleſia, & ſanctitatem eximiam erectis etiam Altaribus veneratur. At ſi in re Sacramentaria ſubit error, vix unquam damnoſus non erit; & aut Sacramentum irritum reddet, aut ſuſcipientem fructibus defraudabit. De materia enim Sacramentorum, de forma, de miniſtro, ſi aliter, quam res ſe habeat, opinaris; aliter quoq; quam oporteat, adminiſtrabis; in his enim ut quiſq; ſentit, ita & agit, atq; adeo rem ſacram, aut nullam facies, aut vitioſam. De ſuſcipientium diſpoſitionibus ſi tibi ſiniſtra opinio inſidet. periculum eſt, ne indignis minuſvè diſpoſitis Sacroſanctum objicias, eisq; mortem inferas, quorum ſalus tibi concredita eſt. An non igitur in calcaneo cerebrum geſtant, qui rei Sacramentariæ ſtudium cæteris poſthabendum exiſtimant, qui inutilem ac certe ſupervacaneam operam putant, qui ſi pauculas, ac etiam ſucceſſivas horas impenderint, ultra quam res ipſa poſtulet, deſudaſſe videri volunt?

Imo vero & inſtituti, quod amplexi

ſu-

ſumus, & ſacri, quod obeunt, miniſterii prorſus indignos non dubitaverim affirmare, qui cùm aliena, aut certe, cæteris quibusq: communia ſtudioſè ſectentur; quæ proprii muneris ſunt & officii, poſtremo omnium loco habenda putant. Sanè quotquot Divinas literas colimus, ſacris Altaribus mancipamur, quorum miniſterii pars maxima in Sacramentorum diſpenſatione verſatur. Cæterarum quarumcunq; rerum Theologicarum Lectores, Proffeſſores, aut Magiſtri ſumus aut vocitamur; at Sacramentariæ rei miniſtri quoq; atq; diſpenſatores a Chriſto Domino ſumus inſtituti; illarum meri *ſpeculatores*, atq; commentatores cenſemur, iſtius pars ſumus magna, in iis authorem DEUM contemplari ſolemus, in iſta authori DEO operam etiam noſtram adjungimus; ut hinc omnes intelligant, rem Sacramentariam peculiari quadam ratione nos tangere, nec poſſe Theologos Viros in ea perdiſcenda & pertractanda deſides eſſe, niſi & ſe, & ſua neſcire videri velint.

Hæc ideo dicta ſunt, ut quisq; intelligat, cujus inſtitutioni curas noſtras ac

ſtudia devovemus, non inglorium & infrugiferum eſſe laborem, quem in iis literis addiſcendis impendet. Imò nulli certiorem patere viam, ut & opportunus religionis & fidei defenſor, & dignus Sacramentorum adminiſter, & abſolutiſſimus Theologus evadere aliquando poſſit.

In præſenti ergo Tractatu primo contra hæreticos tum antiquiores, tum recentiores agemus, deindè controverſas in ſcholis quæſtiones breviter reſolvemus.



DIS-







DISSERTATIO I.

De re sacramentaria in communi.



Ut via debita, rectaq; ratione procedat de Sacramentis Theologica disceptatio, ne quid necessarium prætermittamus, inquiremus 1. de illorum essentia, 2. de existentia. 3. de virtute & efficacia. 4. de

de effectibus. 5. de authore. 6. de Miniſtro. 7. de ritibus in eorum adminiſtratione obſervandis.

ARTICULUS I.

Quid nomine Sacramenti intelligendum ſit?

Quoniam hæreticorum in Sacramenta livor & odium eo uſq; proceſſit, ut ipſum etiam nomen ab Eccleſiæ uſu pellere velint, idcirco de Sacramenti nomine pauca præmittemus. Hoc ut præſtemus, primo.

§ I.

Oſtenditur nomen Sacramenti rite a Catholicis uſurpari.

Quamvis ſupervacaneæ plerumq; cenſeantur quæſtiones, quæ de rerum naturalium appellatione moventur a Philoſophis, nunquam tamen inutiles haberi poſſunt, quæ de rerum Divinarum nominibus a Theologis agitantur, ut ſcitè ait S. Auguſtinus lib 10. de Ci-

vit:

vit: DEI cap. 3. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nobis autem ad certam regulam loqui necesse est, nè verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

Lutherani & Calvinistæ ingens Ecclesiæ Romanæ facinus dictitant, quod illud *Sacramenti* nomen usurpet, suoq; velut usu consecret; & quia idem Græcis *Mysterium* sonat, quod Latinis *Sacramentum*, Ecclesiæ perindè Græcæ eandem litem intentant, quod *Mysterii* græcam vocem ad sacra illa symbola designanda, nobiscum usurpet. Hinc *Lutherus* lib: de abroganda Missa & lib. de Captiv: Babil: Synagogæ suæ ministros seriò monet, nè gemina illa nomina a fidelibus usurpari sinant. *Calvinus* non absimiliter lib. 4. Instit. cap. 14. *Zwinglius* lib. de vera & falsa religione.

Duplici porrò, ut suúm illum errorem adstruant, nomenq; *Sacramenti* rejiciendum ostendant, argumento utuntur, vel potius more suo abutuntur, I. Quod nuspiam in scripturis *Sacramenti* nomen acceptum pro signo externo atq; sensibili, quo sacra & occulta res designatur, lega-

gatur. II. Quod altum de utraq; tum *Sacramenti*, tum *Myſterii* appellatione in eum ſenſum accepta apud priscos Eccleſiæ utriuſq; Patres ſilentium extet. Hæc illi.

At primò ne hæreamus in æquivoco, *Sacramenti* nomen, variis ſignificatis obnoxium eſſe, nec uno ſemper ſenſu a Scriptoribus uſurpari, citra dubium eſt. Sic juramentum, quo DEUS in teſtem promiſſionis aut veritatis vocatur, *Sacramentum* ſæpius appellatur; ita *Cicero* lib. 2. de officiis illud accipit, & in Jure Can: Cauſa 22. q. 4. cap. *Qui Sacramento* eo modo accipitur. Rurſum pignus in ſacro loco depoſitum olim a litigantibus, ut illud perderet improbus litigator, qui cauſa caderet, *Sacramentum* a veteribus vocabatur teſte *Varrone* lib. 4. de lingva lat. In Divinis quoq; Scripturis pro ſacro arcano, abdito & occulto pluries uſurpatur hoc nomen. Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Ad Ephes. 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* 1. ad Tim. 3. *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Hæc ita ſe habe-

bere ultro concedimus Novatoribus. Sed *Sacramenti* nomen, uti & *Myſterii* vocem ſacris in literis identidem uſurpari, quo ſenſu a Catholicis tùm Græcis tùm Latinis in præſentia ſumitur pro ſigno nimirum externo, atq; ſenſibili, quo ſacra res deſignatur, contendimus contra eoſdem.

Præſtò eſt locus cap. 1. Apocalipſis. Viderat in extaſi Joannes ſtellas ſeptem, & candelabra totidem túm poſtea a DEO ſcribere juſſus, quid externa illa ſigna, deſignarent; ita Deum loquentem inducit: *Sacramentum ſeptem ſtellarum - - & ſeptem candelabra aurea. Septem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Ita plane ſeptem ſtellas, ſeptem Angelos deſignantes *Sacramentum* appellat. Non ita ſola res ſacra & occulta, Sacramenti nomine nuncupatur, ſicut vult *Lutherus* & *Calvinus*, ſed ipſum quoq; ſignum externum, quo ſacra res deſignatur. Pari modo cap. 17. *Sacramenti* nomine notari legimus mulierem, ſignum ſcilicet, quo occulta Myſteria deſignabantur. Pari modo Dan. 2. ſtatua Nabuchodonoſoris, quæ latentis rei ſi-

ſignum erat, nimirum ſucceſſionis quatuor regnorum, Chriſtiq. imperii poſtmodum orituri *Myſterium* vocitatur.

Sed opus non eſt, ut plura congeramus exempla externorum & ſenſibilium ſignorum, quibus & *Sacramenti* & *Myſterii* nomen attribuit S. Scriptura; nam hæc ipſa, de quibus diſceptatur, ſacra Symbola Divinæ gratiæ ſigna, *Myſteria* vocat Apoſtolus 2. Corint. 4. *Sic nos*, ait, *exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI.* Quæ ſunt illa *Myſteria*, quorum diſpenſatio Apoſtolis concredita eſt? niſi quæ eo communiter cenſentur nomine apud Græcos, a nobis autem Latinis *Sacramenti* vocabulo nuncupantur.

Do gratis Luthero & Calvino *Sacramenti* nomen, ſicut illud accipit uſus Rom. Eccleſiæ, in S. Literis non legi expreſſum, numquid propterea a communi uſu dimoveri debet? An non una nobiſcum uſurpant nomen *TRINITATIS*, vocem *Conſubſtantialis*, à Concilio Nicæno, vocem *Deiparæ* a Synodo Epheſina conſecratam? Nihil horum in Scriptura legitur.

Quod alterum effugium ſpectat ex Patrum authoritate petitum, illud frivolum omnino eſt. Si nomen *Sacramenti* apud antiquos Patres nullibi legitur, quorſum illud S. Auguſtini Epiſt. 23. *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent;* & illud Tract: 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Legant eundem S. *Auguſt:* Epiſt. 118. lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 3. & alibi ſæpius, *Hieronymum* in cap. 1. Malachiæ & 44. Ezech. *Hilarium* in Pſal: 121. *Cyprianum* lib. 1. Epiſt. 6. *Tertullianum* lib. 2. contra Marcionem cap. 28. & lib. de Præſcrip. cap. 40. ubi baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam Sacramenta appellat.

Hic tamen obſerves: Proteſtantes Germaniæ in notiſſima Confeſſione Auguſtana nomen *Sacramenti* uſurpare, hoc namq; indè effectum eſt, quod errorem priſtinum depoſuerit *Lutherus*, & admiſerit ſenex, quod negaverat juvenis. Cur negaſſet juvenis jam dictum, quia nimirum, ut ipſi quidem videba-

tur,

tur, nuſpiam *Sacramenti* nomen, ſacris in Scripturis eo in ſenſu uſurpatum eſt, quo ſolet a Pontificiis uſurpari pro ſigno nimirum externo rei ſacræ. Cúm demúm admiſerit ſenex, hac ratione ductus eſt: quia nuſpiam, inquiebat ille, ſacris in Literis prohibetur, ne vocabulum illud uſurpemus. At non veritatis tuendæ ſtudio, ſed invidiæ & æmulationi tribuenda Martini *Lutheri* mutatio eſt. Cùm enim *Zwinglium* & *Carloſtadium*, cum quibus graves gerebat inimicitias, a voce Sacramenti abhorrere animadvertiſſet, eandem ipſe cepit admittere, priſtinumq; errorem depoſuit, nè communem cum implacabilibus hoſtibus ſententiam habere videretur. Jam ad rem veniamus.

§ II.

Opiniones Novatorum circa eſſentiam Sacramenti refelluntnr.

I. Quidam Novatorum dixerunt, Sacramenta nihil aliud eſſe, quám externas quaſdam notas, & teſſeras Chriſtianæ Religionis; quo ſenſu a *So-*

ci-

cino Disput: de bapt: ejusq; sequacibus dictum, Sacramentum *esse nudum signum & simplex, quo Christianus à Judæo vel Gentili distinguitur.* Eo deniq; recidit definitio ab Anabaptistis inventa: *Sacramenta,* inquiunt, *sunt allegoriæ seu signa quædam vitæ spiritualis morum atq; bonorum operum, quibus admonemur bonis operibus nos exercere.*

De illis hoc unum juvat observare, quod Sacramenti naturam, sivè ut schola loquitur, differentiam nec leviter attigerint; quod enim ajunt: Sacramenta *signa esse* &c. verè hoc quidem aliquatenus affirmant, sed novi nihil afferunt, cúm hoc ipsum de multis aliis meliore titulo dici possit. Nam 1. cultus DEI externus, templorum frequentatio, & alia similia, si credimus Socinianis, jure potiori Sacramentis annumerabuntur, quia notis illis ac tesseris Christiani a Judæis & Gentilibus longè certius, nemine diffidente distingvuntur 2. Externa fidei professio, de qua Apost. *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* ipsaq; mors pro Christo tolerata, prorsus non videmus, cur

po-

potius Sacramentum dici non debeat, quàm baptiſmus, qui ſtatim ac traditus eſt, ab oculis evaneſcit, nullamq, relinquit niſi in hominum teſtificatione memoriam, quem etiam multi a fide deficiendo contemnunt, cúm e contrario eum verè Chriſtianum eſſe oporteat, qui ponit pro Chriſto animam ſuam. Imo 3. dicendum erit, veterem circumciſionem longè ſuiſſe excellentiorem Sacramentis Chriſti, cúm notam ſui corporalem relinqueret, quam penitús delere penes Judæos non erat; cùm ex adverſo homini Chriſtiano nihil ſit facilius, quàm Sacramenta accepta negare, & cum Gentilibus inire conſortium. 4. Si Sacramentum nihil aliud ſit, quam admonitio vitæ bene agendæ, mirum in modum numerus Sacramentorum augetur, hoc enim ipſum lex vetus monebat, quæ *pædagogus noſter fuit in Chriſto* ad Gal: 3. idemq; in nova lege faciunt Decalogus, præcepta, conſilia, exhortationes, increpationes, proſpera omnia & adverſa.

II. Alii Sacramentorum naturam non aliunde repetunt, quám a fide, quam

DEO

DEO vovent, qui ſacris initiantur, ejuſdemq; fidei volunt Sacramenta, pignora quædam eſſe atq; indicia, quo ſenſu *Zwinglius* lib. de vera & falſa relig. cap. de Sacr. *Sacramentum*, inquit, *nihil aliud eſt, quam oppignoratio, qua ſe homines obligant Chriſto, ejuſq; militiæ nomen dant.* At hoc commentum ſtare non poteſt. 1. Hoc ideo dicit *Zwinglius*, quia contendit homines prius eſſe juſtos & Chriſto conjunctos, quàm Sacramenta recipiant; atqui hoc apertè eſt contra Scripturam, quæ manifeſtè inculcat, non ideo homines Divinis Sacramentis donari, quia prius mundi & ſancti erant, ſed e contra ſanctos & mundos fieri, quia veniunt in Sacramentorum conſortium. Hinc Joan. 3. dicimur *denuo naſci per baptiſmum*, & ad Ephes. 5. ait Apoſt. *Eccleſiam ſanctificatam & mundatam lavacrô aquæ in verbo vitæ.* Joan. 6. de Euchariſtia, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* 2. Si &c. conſequens eſt in Sacramentorum conſecratione Chriſtum inertem otioſumq; jacere, totumq; hunc ritum ab actione hominis dependere; atqui hoc

aper-

aperte contradicit Scripturæ; nam ſi baptiſmus vg. mea tantum oppignoratio eſt, non vero actio Chriſti, quid eſt, quod ait Joannes. *ſuper quem videris Spiritum S. deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu S.* Joan. 1. Quid item alterum ab Apoſtolo dictum Ephes 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Si baptiſmus peccata non abluit, ſed ſolum exhibet teſtimonium futuræ fidelitatis, cur Paulo *Ananias* dixit Act: 24. *baptizare & ablue peccata tua invocato nomine ipſius?* cur *Paulus* ipſe docuit ad Tit: 3. baptiſmum lavacrum eſſe regenerationis & renovationis

III. *Lutherus* non à fide, quam homines DEO pollicentur, ſed à fide ipſa, qua ſe DEUS hominibus obligat, Sacramenti definitionem eſſe petendam conſtituit; benè illud quidem, ſi quidquid virtutis Sacramentis attributum eſt, uti par eſt, exponere libuiſſet, verum eô, quod magis erat neceſſarium, prætermiſſo, in hoc uno virtutem eorum conſiſtere ſomniavit, non quod

gra-

gratiam DEI ſic volentis mirabili liberalitate conferant, ſed quod mera ſigna ſint & teſtimonia gratiæ, quam DEUS promiſit ſe daturum hominibus, quaſi nimirum iis egeret præſidiis ad fidem promiſſis ſuis conciliandam. Sic lib. de cap. Babil: cap. ult *Sacramentum*, inquit, *nihil aliud eſt, quam promiſſio gratiæ ſigno externo annexa*, ſeu ut habet confeſſio Auguſtana cap. 13. *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum DEI, & cui addita eſt promiſſio gratiæ. Kemnitius.* Lutheri diſcipulus in exam. Conc. Trid. p. 3. c. 2. *Sacramentum*, inquit, *eſt ſignum materiale, præceptum in novo teſtamento obſignans inſtar ſigilli promiſſionem gratiæ*; in quaquidem definitione, quot penè verba, tot vitia animadvertimus.

1. Falſum eſt, quod dicit Sacramentum eſſe debere ſignum materiale in ſenſu *Kemnitii*; nam per hanc vocem intelligit corporale elementum, quod ſenſum videndi & tangendi afficiat, quomodo aqua baptiſmatis eſt & verè dicitur elementum; atqui falſò aſſeritur omne legis novæ Sacramentum tractabilem habere

materiam oculis & manibus obviam; nam pænitentia verum est in Evangelio Sacramentum, idem dic de ordine & matrimonio, ut infra dicetur; atqui nec in pænitentia, nec in ordine, nec in matrimonio elementum proprie dictum occurrit, quod materiæ vicem gerat; ergo.

2. Falsum etiam est, quod affirmat omne Sacramentum debere necessario in novo testamento esse præceptum, hanc enim conditionem hoc sensu intelligit, quod velit omnino Sacramenta non esse nisi habeat expressum in Divinis Literis mandatum; atqui error hic est Lutheranorum intolerabilis verbo DEI apertè contrarius; nam ad verum Sacramentum sufficit Divinum mandatum, cujus æquale est pondus, vis eadem, sive in verbo scripto, sive in traditione contineatur; ergo. Aliundè negare non potest *Kemnitius*, verum fuisse Sacramentum baptisma, quo S. *Petrus* aliquot hominum millia in prima Evangelii prædicatione donari jussit Act: 2. atqui hœc omnia contigerunt, antequam conscripti essent libri novi testamenti; ergò mandatum Divinum sive scripto sit exaratum, sive non,

paris

paris authoritatis esse censendum est, neq; ideo sacra quædam Symbola Sacramenta esse, quia consignata sunt literis, sed e contrario ideo eorum in verbo DEI scripto mentionem fieri, quia antehac vivæ vocis oraculo fuerant a Christo instituta.

3. Aberrat à verò, dum dicit Sacramenta obsignare instar sigilli gratiæ promissionem; ut enim Divinis promissis per Sacramenta aliquod robur accederet, deberent esse efficaciora ad fidem persvadendam ipsis promissionibus, alioquin frustra ad earum confirmationem adhiberentur; *atqui Sacramenta non habent* majorem certitudinem Divinis promissionibus; nam promissiones DEI continentur in verbo ejus, imo sunt verbum ipsum Divinum hominibus vel scripto, vel traditionibus significatum; porro Sacramenta verbo DEI nec certiora sunt, nec clariora; cum è contrario á verbo DEI omnem suam significationem & certitudinem habeant, ita ut non aliter quam per verbum DEI veritas eorum & certitudo fatentibus Lutheranis probari

poſſit; ergo falſum eſt Sacramenta obſignare inſtar ſigilli gratiæ promiſſionem.

4. In his verbis *obſignans promiſſionem gratiæ* dolus eſt, & licet videantur primo intuitu cum Catholico dogmate conſentire, re ipſa pernicioſiſſimam hæreſim exprimunt; nullam enim volunt Lutherani in Sacramentis conferendæ gratiæ eſſe virtutem, quod Catholica propugnat Eccleſia, ſed dicunt nuda eſſe ſigna ad alendam & excitandam fidem divinitùs inſtituta, eodemq; modo conferre ad juſtificationem, quo prædicatio verbi DEI, cum hoc tantum diſcrimine, quod prædicatio per auditum, Sacramenta per viſum excitent fidem.

IV. *Calvinus* ex utraq; *Lutheri* nempe & *Zwinglii* definitione unam nectit, & hunc duplicem DEI ad homines, viciſſimq; hominum DEO fidem voventium ordinem, una & ſimplici oratione concludit lib: 4. Inſtit: cap: 14. *Sacramentum,* inquit, *externum eſt ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſionis conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram, tàm coram eo & Angelis, quam apud homines teſtamur.* Hanc

Hanc *Calvini* definitionem ſtare non poſſe jam dictum, & inde fit manifeſtum, quod pluribus, quàm prima ſcateat erroribus, præterquam enim quod cum *Luthero* & *Zwinglio* ſupponat Sacramentum nudum eſſe ſignum vacuum, non practicum, ſed omnis efficaciæ expers ſymbolum, addit falſò, Sacramenta Divinæ benevolentiæ erga nos eſſe ſigna intelligendo per *Divinam* benevolentiam gratiam prædeſtinationis, quæ non præſens eſt, ſed præterita & æterna, ut ſe explicat *in Antidito Conc: Trid: ad ſeſſionis 6. canonem 5. & in Canonem 7. Seſſionis 7.* Hæc Calvini doctrina ſi vera eſſet, conſequens foret, Sacramenta non gratiæ præſentis, ſed prædeſtinationis eſſe ſigilla, unde rurſus ſequeretur Sacramenta eis non eſſe neceſſaria, qui ſunt ad vitam æternam prædeſtinati, utpotè qui haberent ſine Sacramentis juſtitiam & ſanctitatem, prout fatetur ipſe *Calvinus* alio loco affirmans eos, qui ſunt in vitam æternam prædeſtinati, naſci cum ornamento juſtitiæ, neq; expectare ad ſanctitatem habendam, donec fuerint baptizati; atqui conſequens illud contrarium

eſt

eſt oraculo Chriſti Joan: 3.*niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum DEI*; ergo.

Tandem error eſt, quod affirmat per Sacramenta Divinæ benevolentiæ promiſſiones conſcientiis noſtris obſignari ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, nam miſſis aliis, parvuli, quando baptizantur, verum Sacramentum ſuſcipiunt fatente *Calvino*; atqui in illis nulla accepti beneficii conſcientia eſt, nulla actualis fides, propter quam obſignandam Sacramento opus ſit, niſi velit cum *Luthero* id abſurdum devorare & dicere, infantes dum baptizantur, actu DEUM cognoſcere, actu credere, actu amare, quod merito negat *Calvinus*.

At aliam viam init *Calvinus*, reponendo, tum primum in cordibus parvulorum operari baptiſma, quando incipiunt uti ratione, ſed hoc non ſatisfacit; ſi enim ita ſe res habet, vicerunt Anabaptiſtæ, baptiſmum ad adultam uſq; ætatem procraſtinantes, & perperam Calviniani agere convincuntur, infantes ſine diſcrimine baptizando; tutius namq; foret baptiſmum in illud tempus differre, quo exercendæ actualis fidei ſunt capaces. §

§ III.

Catholica de Sacramentorum natura sententia stabilitur.

Dico: Sacramentum novæ legis est signum sacrum gratiæ invisibilis ad nostram sanctificationem institutum.

Prob: Ea sunt ex natura sua & essentialiter signa sacra, quæ sic a Conciliis Oecumenicis, ab omni ævo tùm á Græcis tùm á Latinis Patribus & Doctoribus delineantur; atqui res sic se habet pro Sacramentis novæ legis; ergo. *Prob*: *min*: quo ad 1. p. Concilia Florentinum & Tridentinum Sacramenta novæ legis veluti signa gratiæ invisibilis ad hominum sanctificationem instituta celebrant; illud quidem in Decreto pro instructione Armenorum non alio modo de his loquitur, tum & Tridentinum in pluribus Sessionibus; *Catechismus Romanus*, qui est Concilii Trid: veluti os & lingva p. 2. sic loquitur: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum - - - Sacramentum ad hoc rerum genus, quæ significandi causâ institutæ sunt, referri perspicuum est: siquidem specie quadam & similitudine id nobis declarat, quod DEUS in*

ani-

animis noſtris ſua virtute, quæ ſenſu percipi non poteſt efficit - - - Signa enim ſunt divinitus tradita, non ab hominibus inventa, quæ rei cujuſpiam ſacræ, quam declarant, efficientiam in ſe continere certò credimus. Prob: min: quo ad 2. p. *S. Greg:* Nazian: Orat: de baptiſmo, rationem, cur baptiſmate abluimur, reddens, quia eſt medicamentum partim corporale partim ſpirituale: *Gemina re, ait, hoc eſt animo & corpore nobis conſtantibus, quarum altera ſub aſpectum cadit, altera oculorum ſenſum fugit. Gemina quoq; conſtat baptiſmus, aquâ ſcilicet & ſpiritu, illa viſibili & corporeo modo accepta, hoc vero incorporeo & inviſibili concurrente.* Similia habet *S. Chryſoſt:* Hom: 83. in Math: *Nihil enim inſenſibile traditum nobis a Chriſto, ſed res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles, itidem in baptiſmate per rem nempe ſenſibilem aqua donum baptiſmi efficitur; intelligibilis vero effectus eſt generatio & renovatio. Si enim incorporeus eſſes, incorporea dona DEUS nuda tradidiſſet, ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* Similiter loqvuntur vetuſtiſſima Græcorum Euchologia & priſcæ ætatis Patres

ac

ac Theologi. Imo Græci & Orientales omnes, qui hac ipſa ætate vivunt, etſi ſchiſmate a Rom: Eccleſia ſejuncti, unanimiter in hanc veritatem conſpirant. *Jeremias* enim Patriarcha Cpolitanus oblatam a Theologis Vittembergenſibus Confeſſionem Auguſtanam omni argumentorum genere refutavit, Scripturæ & Traditionis authoritate oſtendens Sacramentis, donis videlicet Spiritus S. virtutem internam ineſſe ad conferendam homini ſanctitatem: *& ideo Sacramenta dici, quia ſub externis ſenſibilibuſq; ſymbolis arcanum & ſpiritualem effectum continent.* Sic ille reſp: 1. Idem dogma a Jeremiæ temporibus Græci & Orientales apertè profeſſi ſunt; ita enim docuit *Gabriel* Philadelphiæ Metropolitanus in Tract: de Sacram. *Meletius* Piga a Græcis authoribus *Nectario*, *Doſitheo*, *Callinico*, *Syrigo* & aliis pro merito ſæpe laudatus. Ita *Georgius* Coreſſius, ejuſq; diſcipulus *Gregorius* Proto-Syncellus *in Epitome Divinorum Myſteriorum*. Ita Synodus Cpolitana anno 1638. celebrata; ita Synodus altera poſt annos quatuor Jaſſi in Moldavia habita in qua q. 99. declara-

tum

tum eſt: *Sacramentum eſſe cœremoniam ſacram, qua ſub forma viſibili producit DEUS gratiam inviſibilem, eamdemq; in animam fidelem infundit.* Ita Synodus Jeroſolymitana circa finem ſæculi XVII. celebrata.

Latini Patres clarius ſe explicant, circa naturam & eſſentiam Sacramentorum: S. *Aug*: lib: 10. de Civit: DEI cap 5. ſic loquitur. *Sacrificium ergo viſibile inviſibilis ſacrificii Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt.* Longè ante Auguſtinum hoc ipſum tradidit *Tertullianus* tum lib: de Bapt: cap: 1. tum lib: de Reſur: carnis cap: 8. *S. Cyprianus* Epiſt: 2. ad Donatum.

Objectiones ſolvuntur.

Proteſtantes, qui exiſtimant vel ipſa novæ legis Sacramenta eſſe mera fidei & promiſſionum DEI ſigilla, ſic *objiciunt 1.* Quod eſt ſecretum non eſt ſenſibile; ſed Sacramentum Tobiæ 10. dicitur ſecretum; ergo.

Reſp: *diſt: maj*: quod eſt ſecretum tantummodo, non eſt ſenſibile, *conc.* quod eſt ſecretum ſimul & Sacramentum, *nego;* diſt: min: nego conſeq. Solutio eſt S. Tho-

Thomæ hic quæſt: 60. art: 1. ad 2. his verbis: *Dicitur autem non ſolum DEI ſecretum, ſed etiam Regis, eſſe ſacrum & Sacramentum: quia ſecundum antiquos ſancta vel ſacroſancta dicebantur, quæcumq; violari non licebat; ſicut etiam muri civitatis, & perſonæ in dignitatibus conſtitutæ. Et ideo illa ſecreta, ſive Divina ſive humana, quæ non licet violari, quibuſlibet publicando, dicuntur ſacra vel Sacramenta.*

Inſtant: Signum non ideo eſt Sacramentum quia ſacrum; ergo. *Prob*: *ant*: Omnes creaturæ ſunt ſigna ſacra, quippe quæ DEUM indigitent juxta illud Rom: 1. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur*. Ergo ne Sacramenta? abſit. Ergo.

Reſp: neg: ant: ad prob: diſt: Omnes creaturæ ſunt ſacræ lato modo, & relativè ad ſuum principium, *conc*: formaliter & in ſe, *nego*. Aliquid poteſt eſſe ſacrum duplici modo, videlicet relativè, hoc eſt per ordinem ad ſuam cauſam, quæ eſt rerum omnium creatrix; deinde vero formaliter & in ſe, quatenus vim ſanctificandi præcontinet. Priori modo omnes

crea-

creaturæ ſunt ſigna ſacra, poſteriori modo ſola Sacramenta. Ita S. Thomas ibidem art: 2. ad 1. *Creaturæ ſenſibiles ſignificant aliquid ſacrum, ſcilicet ſapientiam & bonitatem Divinam, inquantum ſunt in ſeipſis ſacræ, non autem inquantum nos per ea ſanctificamur. Et ideo non poſſunt dici Sacramenta, ſecundum quod nunc loquimur de Sacramentis.*

Urgent: In veteri Teſtamento cæremoniæ legis erant ſacræ, neq; tamen omnes erant Sacramenta: igitur abſq; fundamento ſigna ſacra novæ legis dicuntur Sacramenta. *Confirmatur* vel etiam in novo Teſtamento multa ſunt ſigna ſacra, quæ tamen Sacramenti nomine non donantur, ut aſperſio aquæ benedictæ, conſecratio altaris, Abbatis & ſimilia; ergo.

Reſp: diſt: ant: Omnes cæremoniæ veteris legis non erant Sacramenta, *conc:* aliquæ, *nego.* Cæremoniæ legis erant in duplici differentia; quædam deſignabant DEI ſanctitatem, quædam verò ſanctitatem accipiendam & propriam; priores non erant Sacramenta, benè tamen poſteriores. Sic ſolvit argumentum ibidem

S.

S. Thomas ad 2. ubi ſic loquitur: *Quædam ad vetus Teſtamentum pertinentia ſignificabant ſanctitatem Chriſti, ſecundum quod in ſe ſanctus eſt. Quædam vero ſignificabant ſanctitatem ejus, inquantum per ea nos ſanctificamur: ſicut immolatio Agni paſchalis, ſignificabat immolationem Chriſti, qua ſanctificati ſumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis Sacramenta.*

Ad confirmationem diſt: Et aſperſio aquæ luſtralis, aliaq; ſimilia ſunt ſolum diſpoſitiones ad ſanctitatem, *conc:* cauſæ ſanctitatis effectivæ, *nego:* Et ideo deficiunt a ratione Sacramenti. Solutio eſt S. Thomæ ibidem ad 3. his verbis: *Dicendum, quod res denominatur a fine & complemento: diſpoſitio autem non eſt finis, neq; perfectio. Et ideo quæ ſignificant diſpoſitionem ad ſanctitatem, non dicuntur Sacramenta, de quibus procedit objectio, ſed ſolum ea, quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ.*

Suffragatur Catechiſmus Rom: ibidem n. 11. *Quare,* inquit, *ut explicatius, quid Sacramentum ſit, declaretur, docendum erit, rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex DEI inſtitutione, ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignifi-*

candæ, tum efficiendæ vim habet: ex quo sequitur, ut facile quivis possit intelligere, imagines Sanctorum, Cruces & alia id generis, quamvis sacrarum rerum signa sint, non ideo tamen Sacramenta dicenda esse.

Insistunt. Sacramentum quandoq; a Patribus dicitur elementum; sed certè hoc non cohæret cum Sacramento, ut sit gratiæ causa; maxime vero cum in Eucharistia, & in Matrimonio vix quidquam elementi reperies; ergo.

Resp: dist: maj: Sacramentum a Sanctis PP. elementi nomine nonnunquam celebratur, prout elementum idem sonat ac res sensibilis, *conc:* prout rigorosè sumitur pro aqua, oleo, & similibus, *nego;* & sic dist: min: nego conseq; Sacramentum definitur: *signum sensibile invisibilis gratiæ ad hominis sanctitatem institutum:* quæ quidem definitio juxta supremos Logicæ apices prorsus convenit Sacramento novæ Legis: namq; per *signum* convenit cum omnibus signis sacris etiam non Sacramentalibus, ut cum serpente elevato in deserto, qui erat Christi in cruce pendentis Typus: quod sit *signum invisibilis gratiæ ad nostram sanctifi-*

catio-

cationem institutum, secernitur a cæteris signis sacris, quæ quidem conditio Sacramentis omnibus tum veteris, tum novi Testamenti inest: quod autem Sacramentum novæ Legis virtutem habeat producendi gratiam, ab antiquis discrepat Sacramentis: deniq; quod sit *signum sensibile*, differt a signis invisibilibus, puta a charactere & similibus: quod demum quandoq; definiatur per vocem *elementi*, hoc sumi debet secundum distributionem accomodam, in eo scilicet sensu, quod omnia Sacramenta sint signa sensibilia, & ut plurimum ex elementis constent: neq; enim diffitendum est etiam in Eucharistia & in Matrimonio eatenus reperiri, quatenus Eucharistia habet pro materia panem & vinum, Matrimonium verò ipsa corpora, quæ quidem omnino elementis constare nemo, nisi sit in Philosophia hospes, negabit.

Obijciunt 2. Quæ sunt solummodo conscientiæ bonæ testimonia, non nisi ut sigilla promissionum & gratiæ jam collatæ habentur; atqui Sacramenta nihil sunt præter hujusmodi testimonia, juxta illud 1. Petri 3. 21. *Quod & vos*

nunc

nunc ſimilis forma ſalvos fecit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in DEUM.

*Reſp: nego min: ad prob: diſt:*baptiſma novæ legis cauſaliter eſt interrogatio bona in DEUM, *conc:* in ſe & formaliter, *nego.* Baptiſma poteſt conſiderari duplici modo; videlicet & quo ad ſe, & quo ad effectus; priori modo vim producendi gratiam, & lavandi interius animam, in ſe continet; è contra vero baptiſma Judæorum, quippe quod ex virtute ſua non niſi ſordes legales ablueret. Hoc ipſum indicat Apoſtolus, quocirca ejus verba nihil veritatis hoſtibus proficiunt. Baptiſmus poteſt etiam ſpectari quo ad ſuum effectum, qui certè non unus eſt. Primarius eſt abluere animam, ſecundus pax & conſcientiæ tranquillitas, quæ eſt juſtificationis apertum teſtimonium, S. Paulo dicente Rom: 8. quod Spiritus S. teſtimonium reddat conſcientiæ, nos inter filios DEI eſſe annumeratos. Solutio eſt S. *Aug:* Tract: 80. in Joan: & S. *Baſilii* lib: de Spiritu S cap: 15.

Obij-

Objiciunt 3. Rom: 4. Circumcifio dicitur: *Signaculum juftitiæ fidei;* ergo.

Refp: 1. eo loci nullam fieri mentionem aut pacti, aut promiffionis; incaffum igitur fuum firmant errorem hoc teftimonio & *Calvinus* & *Lutherus*.

Refp: 2. dift: ant: Circumcifio dicitur fignaculum fidei fimul & juftitiæ, quas producebat, *conc:* fidei & juftitiæ, quas fupponeret, *nego*. Juftitia in circumcifione interiori pofita eft; hanc autem fuiffe circumcifione externa & datam & denotatam nemo præter Heterodoxos negabit. Solutio eft *Origenis* Comment: in hunc Apoftoli locum, Sancti *Chryfoftomi* & *Theophilacti*.

Confectaria præcedentis Doctrinæ.

I. Nos recté definiviffe Sacramentum *fignum facrum gratiæ invifibilis ad noftram fanctificationem inftitutum*. Intellige fignum arbitrarium, permanens & practicum gratiæ nos perfecte fanctificantis. Cum hac definitione coincidit hæc tradita a Jure D. de Confec: cap: *Sacrificium invifibilis gratiæ forma vifibilis:*

Item hæc S Thomæ *Signum rei ſacræ nos ſanctificantis.* A Trid: ſeſſ: 13. cap: 3. definitur: *Symbolum rei ſacræ inviſibilis gratiæ forma viſibilis ſanctificandi vim habens:* A catechiſmo Rom: *Res ſenſibus ſubjecta, quæ ex DEI inſtitutione ſanctitatis & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.*

II. Sacramenta non eſſe tantum ſigilla Divinæ promiſſionis, ſeu teſtimonia juſtitiæ acceptæ, ut volunt Hæretici: *1mo.* quia ſigilla & teſtimonia alicujus rei, eâ debent eſſe certiora & clariora; Sacramenta autem non ſunt clariora & certiora Divinis promiſſionibus, quæ continentur in Scriptura ſacra, a qua é contra Sacramenta habent ſuam certitudinem. *2do.* Qui ficte ſuſcipit Sacramenta non certificatur de obtenta juſtitia; ergo. Quandoq; tamen dicuntur ſigilla a SS. Patribus, ſed hoc ſenſu, quod fideles ab infidelibus diſtingvant.

III. Plura, quæ tamen ſunt ſigna rei ſacræ excludi a ratione Sacramenti. *1.* excluduntur omnia Scripturæ verba, cruces & Imagines ſacræ, quia ſunt inſtituta tantum ad repræſentandum, & non

non ad ſignificandum practicé gratiam ſanctificantem. 2. Excluduntur tranſitus per mare rubrum, petra fundens aquas, manna, ſerpens æneus & ſimilia; quia non adhibebantur, ut aliquis ſanctificationis effectus actu perciperetur, ſed ſolùm effectus alicujus beneficii temporalis, ut curatio, cibatio, refrigeratio &c. 3. Excluduntur hæc Chriſti verba ad Magdalenam, *Remittuntur tibi peccata*, lotio pedum, deſcenſus columbæ, lingvæ igneæ, inſufflatio in Diſcipulos: quia licet forte hæc fuerint ſigna practica gratiæ, non ſunt tamen inſtituta ut cæremoniæ religioſæ permanenter obſervandæ in Eccleſia. De lotione pedum fuſius infra, dum de numero Sacramentórum. 4. Excluduntur innumeræ cæremoniæ veteris legis, quia ſignificabant tantùm emundationem ab aliquo impedimento ſeu immunditia legali, ſeu ſanctitatem legalem & imperfectam, non perfectam per gratiam. Vel ut dicit S. Thomas, ſignificabant ſanctitatem Chriſti, qua ſanctus eſt, non verò ſanctitatem, qua ſanctificamur. Unde ſi aliquando a Patribus dicantur Sacramenta, eſt impropria locu-

 tio.

tio. 5. Excluduntur aſperſio aquæ benedictæ, conſecratio altaris, & alia Sacramentalia; tum quia non ex ſeipſis, nec ex inſtitutione Divina, ſed tantum ex pietate operantis, aut ex ſuffragiis Eccleſiæ vim aliquam habent in ordine ad ſanctitatem; tum quia ſignificant tantum diſpoſitionem ad ſanctitatem, & non perfectionem ſanctitatis; res autem denominantur a fine & complemento. 6. Excluditur ſacrificium; quia ſacrificium primario ordinatur ad cultum ipſi DEO in ſe exhibendum, Sacramentum autem ad ſanctificationem hominum. Nihil impedit tamen quin idem poſſit eſse ſimul ſacrificium & Sacramentum ſub diverſa ratione, & ſic eſt Euchariſtia in lege nova: ſic etiam erat in antiqua immolatio Agni paſchalis; fuiſse ſacrificium conſtat, fuiſse etiam Sacramentum tradit S. Thomas hic art. 3. & q. 73.

IV. Sacramenta noſtra univoce convenire cum Sacramentis antiquæ legis in ratione Sacramenti, quia utrimq; ſunt ſigna practica gratiæ ſanctificantis.

Petes. Utrum admittere oporteat Sacramenta in ſtatu legis naturæ ac Moyſaicæ?

Tem-

Tempus illud quod poſt Adami peccatum usq; ad Abrahamum & Moyſen excurrit, *lex naturæ* appellari conſvevit, non quod ſola præcepta naturalia homines ante circumciſionem adſtringerent, ſed quia de agendis pro æterna adipiſcenda ſalute, ſola interiore inſpiratione, quaſi quodam naturæ inſtinctu edocebantur, nullo prælucente exterius legis magiſteriô, quod humanarum mentium attentionem nativa imbecillitate & inconſtantia per exteriora & ſenſibilia vagantem vehementius attraheret, ac tenacius defigeret. Quamquam autem lex ſcripta, quæ legi naturæ ſucceſſit, ſolum per Moyſen data fuerit, ad hujus tamen ætatem vocatur & illud intervallum, quod ab Abrahami vocatione ad Moyſen uſq; præterfluxit, veluti quædam ad ſcriptam legem introductio. Poſitivo enim circumciſionis præceptô in Abrahami familia & poſteritate vigente, ita apparitionibus Patriarchis identidem factis illius temporis obſcuritas clareſcere cæpit, ut veluti ſcriptæ legis crepuſculum aut aurora merito dici queat, Sed utrùm ante-

antecedente tempore aliqua Sacramenta haberent homines illi, qui veram religionem colebant, quæstio est in altissimo S. Scripturarum silentio incomperta, ut solis conjecturis supersit locus.

Resp. 1. In lege naturæ apud veræ religionis cultores signa aliqua sensibilia extitêre, quibus suam in Christum venturum fidem protestarentur. Nam vera religio in hac providentia, sive rerum a DEO constituta dispositione sine aliqua saltem subobscura & implicita in Christum venturum fide, nunquam extitit, ut Theologi tradunt in *Tract. de Fide & Incarn.* sed nec hujusmodi fides carere potuit aliquibus externis signis ad ipsam exprimendam accomomdatis. Nam fidem Christi venturi externis quibusdam & corporalibus signis exprimi, atq; indicari ab hominibus DEUM ante legem scriptam colentibus exposcebat, tum illorum naturalis conditio; nihil enim magis hominum ingenio consentaneum est, quam internos animi sensus signis exterioribus prodere; tum ejusdem fidei objectum, quod erat Filius DEI manifestandus in

car-

carne, ac ſenſibilibus modis, corporeaq; paſſione homines redempturus; tum religionis inſtinctus & obligatio, quæ cùm ſit de colendo DEO, nedum mente ſed & corpore, perfecte exerceri non poteſt ſine ſignorum ſenſibilium uſurpatione & uſu. Hæc autem ſi ſemel adhibenda ſint, exprimendæ fidei, quam profitetur religio, accommodatam eſſe oportere, nemo non videt, adeoq; Chriſtum quadantenus ſpectare debuerunt.

Porro hujusmodi ſignorum uſus aut applicatio neceſſaria fuit in lege naturæ ad parvulos ab originaria labe expiandos. Sanctis enim Patribus abſurdum viſum eſt ejus temporis infantes expiatione caruiſſe. Unde S. Aug: Epiſt: 190. ad Optatum merito dixit: *Illa eſt fides ſalva, qua credimus nullum hominem, ſive maioris ſive parvulæ quamlibet, & recentis ætatis liberari a contagione mortis antiquæ - - - niſi per unum Mediatorem DEI & hominum hominem Chriſtum JESUM;* atqui non in ea fide, quæ ipſis ineſſet infantibus, utpote quidpiam agendi defectu rationis impotentibus, ergo in illa, quam eorum parentes excolebant.

Reſp:

Resp: 2. Plura Sacramenta in lege Moyſaica divinitus inſtituta extiterunt. Patet ex Concilio Florent. in inſtruc. Armen. & Trid. ſeſs. 7. can. 2. ubi eadem tanquam omnino certa & explorata ſupponunt. Hinc illud celebre S. Aug: dictum lib: 19. contra Fauſtum cap. 13. *Sacramenta veteris legis ablata ſunt, quia impleta, & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

Porrò omnia Moyſaicæ legis Sacramenta, ad quatuor claſſes revocari commodè poſſunt, nempè ad circumciſionem, ad immolationem & eſum Agni paſchalis, ad Sacerdotum ordinationem, & ad varias expiationes diverſarum immunditiarum legalium: Circumciſio præfigurabat noſtri temporis baptiſmum, ait S. *Aug*: lib. de anima. Sequitur Agnus paſchalis correſpondens noſtræ Euchariſtiæ Sacramento; repræſentabat vero paſcha noſtrum, ſive Chriſtum immolatum in cruce. Succedit leviticorum Sacerdotum conſecratio, quæ novæ legis ſacram adumbrat ordinationem. Poſtremo loco expiationes veniunt, quæ in plura genera diſtribuuntur, & permulta ejus ſta-

tus

tus Sacramenta complectebantur. Unde hac parte noſtrorum numerum Moyſâica Sacramenta longe ſuperabant, & tamen eædem fere omnes expiationes Chriſtianæ pænitentiæ efficaciam prænunciabant. Nullum autem ex Moyſaicæ legis Sacramentis invenitur, quod Sacramentis noſtris Confirmationis, Extremæ unctionis, & Matrimonii correſponderet, quia confirmatio eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ nondum advenerat in lege ſcripta; extrema unctio eſt immediata præparatio ad introitum æternæ gloriæ, cuius aditus nondum tunc patebat, matrimonium tandem eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ nondum tunc erat, adeoq; erat duntaxat in officium naturæ, non autem ut Sacramentum.

ARTICULUS II.

De exiſtentia Sacramentorum novæ legis.

§. I.

Errones circa Sacramenta.

Non defuerunt hæretici, qui cuncta Sacramenta de medio tollerent, ita

Ar-

Archontici, ut refert S. *Epiphanius* hæresi 40, quippe qui baptiſmum & Eucharistiam execrarentur; nec non ut refert *Theodoretus* lib: 10. de Hæret. fabulis, omnia alia ſigna ſenſibilia & corporalia rejiciebant, ac ſolum in cognitione ejus, quod eſt, veram redemptionem conſtituebant. Hos ſecutus eſt ſæculo XVI. e ſchola Luteri *Swenchfeldius*, qui cum ſibimet ſpiritualis admodum homo videretur, ſolo ſpiritu vivendum putavit, atq; adeo non aliqua cum *Luthero*, ſed omnia Sacramenta exterminare aggreſſus eſt, ea de cauſa apud ipſos Lutheranos male audit, ſuosq; hoſtes expertus eſt Fridericum *Staphilum* in lib: *de concord. Diſcip. Lutheri*. Davidem *Chitræum* præf. Comment: in Apoc. & alios.

Nonnulli fuerunt, qui tametſi Sacramenta agnoſcerent, illa tamen abſq; efficacia eſſe, & veluti inania ſigna habebant, tales erant *Meſſaliani* apud S. *Epiph.* hæreſi 80. S. Aug: hær: 57. Tandem quidam aliqua tantummodo Sacramenta abjiciebant, inter quos alii baptiſmum reſpuebant, ut *Gajani* apud *Tertul-*

lia-

lianum lib: de Bapt: & Manichæi apud S. *Aug*. hær: 46. alii confirmationem, ut *Novatiani* teſte *Theodoreto* Lib: 3. de hæret. fab: alii Euchariſtiam, ut ſcribit *Petrus* Cluniacenſis lib: contra Petrobuſianos; alii pænitentiam, ut iterum *Novatiani* apud *Epiph*. hær: 59. alii ordinem, ut *Thaudeni* apud *Sigibertum* in chronico ad annum 1124. alii extremam unctionem, ut *Albigenſes* teſte S. *Antonino* parte 4. tit: 11. cap. 7. §. 5. ſummæ: alii matrimonium, ut Encratitæ apud S. *Aug*. hær: 33.

Fuerunt quidam, qui ſolummodo circa ſubſtantiam Sacramentorum erraverunt, tales fuerunt *Marcoſii*, qui propugnabant baptiſmum non eſſe conferendum in nomine SS. Trinitatis, ut ſcribit *Theod*. lib: 1. de hær: fab: *Marcionitæ* iteratis vicibûs baptizabant, apud S. *Epiph*: hær: 42. *Lutherani* impanationem admittunt in Euchariſtia, *Zwingliani* vero & *Calviniſtæ* non niſi figuram & typum corporis Chriſti in eodem agnoſcunt Sacramento, ut conſtat ex eorum confeſſionibus. Ubi vero de numero Sacramentorum agitur, tanta inter illos eſt diſcordia,

dia,

dia, ut neq; inter ſe, neq; ſinguli ſecum ipſis conſentiant; aliquando enim unum, aliquando duo, quandoq; tria vel quatuor, modo plura, modo pauciora admittere viſi ſunt quo vel uno argumentô conficitur, eos veritate deſtitui, & eſſe a Chriſti Eccleſia alienos, nam ut inquit *Tertullianus* lib: de vel. virg. cap. 1. *non nutat regula fidei, quæ una omnino eſt ſola immobilis & irreformabilis*; econtra hæretici, *etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſq; proinde arbitrio ſuo modulatur, quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui credidit, agnoſcit naturam ſuam & originis ſuæ morem, profectus rei; idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni* (idem Lutheranis, quod Luthero, idem Calviniſtis, quod Calvino) *de arbitrio ſuo fidem innovare, deniq; penitus inſpectæ hæreſes omnes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.* Ita idem de Præſcrip. cap. 42. Contra quos.

§. II.

Dogma Catholicum ſtatuitur.

Dico: Septem ſunt novæ legis Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Fidei iſta doctrina eſt a Conc: Trid. ſeſs: 7. can. 1. roborata: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a JESU Chriſto Domino inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet baptiſmum* &c. *vel etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.*

Prob: 1. Argumento ex præſcriptione petito, qvod omnino irrefragabile eſt. Eſt enim præſcriptio apud Theologos publica, conſtans & perpetua, nunquam interrupta omnium Eccleſiarum ab Apoſtolicis temporibus, ad noſtram uſq; ætatem, in doctrinam aliquam conſpiratio, contra quam novæ hæreſes nihil poſſunt; ergo in forma. Eo tempore quo *Lutherus & Calvinus* nempe ſæculo XVI. diſſidiis orbem Catholicum impleverunt, dogma erat per omnes occidentis & Orientis Eccleſias pervulgatum, ſeptem eſſe legis Evangelicæ Sa-

cra-

cramenta; atqui ſic erat doctrina illa antiqua, ut quo primum tempore nata fuerit, qua ætate inoleverit, quibus artificiis, quibus ſvaſoribus fuerit ab omnibus approbata, præſcribi ab Hæreticis non poſſit; ergo.

Nam conſtat, ait Tertullian. de Præſcrip. c. 21. *Omnem doctrinam, quæ in Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus fidei conſpiret veritati deputandam, id eſt, ſine dubio tenendam, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a DEO ſuſcepit; reliquam vero omnem doctrinam, de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum, & Chriſti & DEI.*

De Occidentali quidem Eccleſia certa res; habemus enim fatentes reos, qui inter cæteras pacis dirimendæ, & ſchiſmatis excitandi cauſas, hanc prætexuerunt, quod Pontificii relicta antiqua fide, nova otioſorum hominum commenta ſectarentur, ponendo in numero Sacramentorum inutiles & exitioſas cæremonias, quam calumniam Concil: Trid. editis diverſis canonibus ſuprema authoritate repreſſit. Et inde manifeſte pa-

tet:

tet: ante *Lutherum* & *Calvinum* Regna Angliæ, Daniæ, Sveciæ, Provinciæ feptem Belgicæ, quotquot funt in Imperio Germanico ditiones, quæ tenent Doctrinam vel Lutheri vel Calvini; Proteftantes Genevæ, Galliæ, Hungariæ, Poloniæ, cæteræq; hujus furfuris Ecclefiæ erant ante fchifma, & hærefim cum Ecclefia Rom: communione fidei conjunctæ; fed ifta Ecclefia, quam fidem nunc tenet de feptennario Sacrementorum numero eandem femper habuit à Chrifto Domino ad hæc ufq; tempora, ut ex infra dicendis patebit; ergo. Neq; minus de *Orientalibus* conftat; nam ignorat nemo, nifi rerum Ecclefiafticarum rudis & imperitus, quanta omnium indignatione excepta fuerit Auguftana confeffio, quam Wittembergenfes Theologi ad *Jeremiam* Patriarcham Conftantinop. non ut difcerent, fed ut docerent, non confulendi causâ fed corrumpendi, magno verborum apparatu, & inftructis ad fallaciam lenociniis, anno 1575. miferant; illam enim, nulla mora facta, laudatus Patriarcha egregiè confutavit, Refp: 1. pag: 77. verbis apertis declarans, *cære-*

monias

monias ſacras & Sacramenta in Eccleſia Catholica a Chriſtianis Orthodoxis recepta, numero ſeptennario contineri: Baptiſmo nimirum, Unctione Divini Chryſmatis, Communione Divina, Ordinatione, Matrimonio, Pœnitentia, & Oleo ſancto (extrema videlicet unctione) *ſicuti ſeptem ſunt dona Spiritûs S. ut loquitur Iſaias, ita ſeptem eſſe Sacramenta, quæ Spiritus S. operatur nec plura, nec pauciora.*

Jeremiæ, quoad vixit, Græcorum nemo, qui contradixerit, eſt repertus, nemo, qui non ejus ſcripta probaverit, velut antiquam doctrinam ſpirantia. Sicq; laboribus ejus ſtabilita concordia, non mediocri temporis curſu, ad annum circiter 1625. in Oriente regnavit: tunc enim novas concitare turbas tentavit *Cyrillus* Lucas Patriarcha Conſtantinop: miræ homo calliditatis & impudentiæ, quantum moribûs, tantum doctrinâ deceſſori ſuo Jeremiæ diſſimilis, quem pene unum ſibi Calviniani eo tempore devinxerunt, credimus; ita permittente DEO, ut ex paucorum oppoſitione magis Catholica veritas efflorefceret; vix enim, ejus propoſito nomine, prodierat no-

nova fidei confeffio, non ex antiquis Græcorum fcriniis, quæ non legerat, fed ex Calvinianorum, quibuscum fecretò agebat, turbidis fontibus eruta, in qua præter cætera, infigni mendaciô legebatur Art: 15. *Græcorum perpetuam & conftantem effe doctrinam, duo tantum Sacramenta, baptifmum & Euchariftiam, a fupremo legislatore Chrifto fancita:* vix, inquam, prodierat mali hominis formula, & ecce jubente clerô Conftantinopoleos publicas concertationes contra novam *Calvini* doctrinam fuftinuit; ille, quem prædiximus *Georgius* Coreffius ab infula Chio accitus, in quibus malæ fidei, novæ formulæ fcriptor eft poftulatus, & manifeftò certiffimis teftimoniis declaratum, feptem effe legis Evangelicæ Sacramenta; quam fententiam eodem penè tempore publicavit *Gregorius* Proto-Syncellus Georgii difcipulus in Epitome Divinorum Myfteriorum, quam Græcorum Archiepifcopis, Epifcopis, Presbyteris, & Clero deniq; univerfo dedicavit; & hæc quidem acta funt in vivis agente Ann: 1635. imo publice confentiente, & approbante *Cyrillô*. Sic

enim erat homo ille verſutus, & ſimulationis artificio eruditus, ut Calviniſticam factionem, quam clanculùm protegebat, omniq; opera promovebat, palàm etiam multiplicato per ſummum nefas perjurio, deteſtari ſe fingeret, ne videlicet publicô ſe odiô oneraret.

Poſtquam verò e vivis ereptus eſt, tùm multò animoſiùs contra ejus doctrinam & memoriam invehi cæptum; nam in Concilio trium Patriarcharum, *Cyrilli* nempe Beroen. Patriarchæ Conſtantinop. *Metrop.* Alexandr: *Theophan.* Jeroſolym. unius ſupra viginti Epiſcoporum & Metropolitarum, & viginti trium magnæ Eccleſiæ officialium Conſtantinopoli habito ad annum 1638. nemine reclamante editus eſt canon, qui ſequitur: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, & credenti non eſſe, ex inſtitutione JESU Chriſti. neq; ex Apoſtolorum traditione, praxiq; perpetua ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, baptiſmum ſcilicet, chryſma, pœnitentiam, Euchariſtiam, ſacerdotium, extremam unctionem, & matrimonium: ſed falſo aſſerenti, duo tantum a Chriſto in Evangelio data eſſe, aut inſtituta, baptiſmum & Euchariſtiam:*

idemq;

idemq; quatuor poſt annis, ſcilicet anno 1642. in altera ſynodo Jaſſi in Moldavia congregata; itemq; in altera Conſtantinopoli præſide *Parthenio* ſeniore celebrata iisdem penè verbis ſancitum: tantummodo ſuppreſſo, propter quorumdam formidinem, *Cyrilli* nomine, confeſſio ejus damnata, *eó quod* inquiunt Patres art: 15. *quinq; Eccleſiæ Sacramenta repudiet Sacerdotium, Sanctum Chriſma, Extremam Unctionem, Confeſſionem quæ pœnitentia ſit, & honorabile connubium quæ ad nos antiqua traditio tanquam res ſacras tranſmiſit, Divinæ gratiæ effectrices.*

Acceſſit verſus ſæculi XVII. finem, alterius definitio ſynodi, Hieroſolymis Præſide Patriarcha *Doſitheo* habitæ, quæ plenam his verbis fidem expreſſit: *credimus ſeptem in Eccleſia eſſe Evangelica Sacramenta, nec plura nec pauciora; huncq; numerum, addendo vel minuendo mutare, hæreticæ pravitatis inſanum pronuntiamus eſſe commentum.*

Eadem deniq; aliorum Orientis Antiſtitum ſententia fuit: ut interim de Coptis, Jacobitis, Syris, Maronitis & aliis taceamus, qui ſuam ea de re fidem, da-

tis ſæpius teſtimoniis, confirmârunt, quorumq; in poſterum verba, ubi occurret occaſio, referemus.

Jam itaq; certum eſt, omniq; parte confectum, *Lutheri* & *Calvini*, & proxime ſecutis temporibûs, dogma fuiſſe in Oriente & Occidente receptum, ſeptem eſſe in nova lege Sacramenta.

Venio nunc ad minorem principalis argumenti propoſitionem, his verbis conceptam: *atqui ſic erat doctrina illa antiqua, ut quo primum tempore nata fuerit qua ætate inoleverit, quibus artificiis, quibus ſuaſoribûs fuerit generaliter approbata, monſtrari ab hæreticis non poſſit:* nam quidem confidimus facilè a cordato quolibet admittendam; nam 1. Ediſſerant nobis Adverſarii, quis tandem ille fuerit, inſani ut loquuntur, dogmatis fabricator? quo nomine appellatus? qua patriâ oriundus? cujus inſtituti profeſſor? qua deniq; præditus auctoritate, ut non Occidenti tantum ſed & Orienti univerſo, contra doctrinam veterem perſvadere potuerit, non duo aut tria, ſed ſeptem eſſe Evangelii Sacramenta, gratiæ efficacia? quod ſi in re tam neceſſaria obmuteſcant, ut re-

revera hactenus ſæpius licet provocati, ſiluerunt; eos, jure noſtro, mendacii accuſabimus, fruemurq; interim hæreditate noſtra, quam quia uſurpatam de novo probare Lutherani & Calviniſtæ non poſſunt, hoc ipſo antiquam & coævam Eccleſiæ meritò gloriamur: juxta illud Tertulliani toties decantatum axioma: *quod apud omnes unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.*

2. Mutationem hanc penitus impoſſibilem demonſtramus; nam, vel repentino quodam impetu contigiſſet, vel paulatim in Eccleſiam Paſtorum, populorumq; negligentiâ irrepſiſſet; primum ſi dixeris, prodigium narras, cui ſimile nusquam audire licuit; quis enim adeo eſt mentis inops, qui feriò putare poſſit, unô eodemq; momentô, Italos, Gallos, Germanos, Anglos, Hiſpanos &c. Græcosq; omnes & incolas Orientis, tum Orthodoxos, tum Schiſmaticos, tum Hæreticos, Coptos, Jacobitas, Neſtorianos, univerſas deniq; orbis Chriſtiani gentes, fortuito caſu nemine inſtigante, priſcam ejuraſſe fidem, & obliterata doctrinâ veteri, tùm primùm cæpiſſe crede-

dere, ſeptem eſſe ſacra gratiæ efficacia ſymbola, cùm antehac multo breviore, binario ſcilicet, aut ad ſummum ternario numero arctata putata forent? interim verò in tam prodigioſa hominum multitudine, ne unum quidem repertum, qui tam ſtupendam levitatem argueret.

Sed nec ſecundum dici poteſt; attendendum enim quæ ſit, olimq; fuerit facies Eccleſiæ; in duas veluti partes univerſa dividitur, Occidentalem & Orientalem; habuit ſemper occidens Epiſcopos doctrinâ ſanâ & veritatis amore conſpicuos; habuit pariter oriens ab omni retro ætate Antiſtites omnis novitatis impatientes, qui proinde gliſcenti errori ſtrenuè obſtitiſſent, nec decipi in re adeo facili potuiſſent, nam communiſſima res, Sacramenta ſunt, omnium oculis obſervantur, teruntur, ſi ſic fas loqui eſt, omnium manibus; itaq; ſi olim exiſtimatum fuerit, duo tantum vel tria eſſe, debuit perſuaſio hæc communis omnium eſſe, ne ipſis quidem exceptis de plebe infima mulierculis; ridiculum ergo eſt fingere, paulatim & nemine

re-

reclamante antiquam doctrinam ſic eſſe mutatam, ut ad ſeptenarium numerum Sacramenta cultu ſuperſtitioſo excreverint. Sed demus Adverſariis (voluimus enim faciles eſſe) inſignem aliquam Eccleſiæ portionem, Galliam e. c. novo fuiſſe errore deceptam; quærimus quibus tandem artibus & præſtigiis error in Gallia natus, in aliis terrarum tractibus, patronos, nemine contradicente reperire potuerit. Demus iterum, id quod audacter Lutherani & Calviniſtæ affirmant, Romanum quemdam Pontificem, tyrannicô uſurpatô imperiô, occidentem univerſum in ſuperſtitionis barathrum pertraxiſſe; denuo quærimus; quomodo potuerit nova hæreſis ab occidente in orientem irrumpere? nemo enim eſt, qui neſciat, Græcos jam inde à multis ſæculis, Latinis infenſiſſimos eſſe, quominus igitur novo illorum errori aſſentirentur, partim præjudicata veritas, partim innatum odium obſtitiſſet; nam, quæſo, quomodo errorem proprium Latinorum ultro amplecterentur, qui ne viderentur judicio occidentalium acquieſcere, ſuos ipſi errores non abiecerunt. De-

Deinde orientalis Ecclesia non est unius communionis: quinècontra in varias, sibiq; admodum contrarias distrahitur factiones; habet Orthodoxos, habet Schismaticos, habet Hæreticos, Christiano equidem junctos nomine, sed revera sibi invicem, à multis sæculis, repugnantes; jam quæro ab Adversariis, viam ut nobis demonstrent, qua ab Orthodoxis ad Schismaticos, rursumq; ab istis ad Hæreticos, error pervadere, nemine renitente potuerit? Næ! illi male hominum nôrunt indolem, qui voluntates tantopere abalienatas, & tam diversis religionibûs occupatas, redire adeo facilè in concordiam putant, ut novum & hactenus incognitum dogma ne uno quidem repugnante, suscipiant.

Cúm igitur præscribi ab Hæreticis non possit, quo tempore, quave ratione, mutatiò in antiqua fide contigerit: certum maneat & constitutum; sententiam quam defendimus niti Divina traditione: nam, inquit S. Aug: lib: 4. contra Donatum c. 24. *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed sem-*

per

per retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.

Confirmantur hucusq; dicta. Ex Græcorum Euchologiis, & Ritualibus Latinorum, quorum maxima hac in re authoritas eſt, quia *lex ſupplicandi* (inquit S. Cæleſtinus Pontifex,) *regula credendi eſt.* Septem eſſe ſigna, ad gratiam homini conferendam, vel augendam efficacia, in hunc finem divinitus inſtituta, clamant omnes libri rituales, quos Occidens, Oriensq; cuſtodit: ibi namq; de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Pænitentia, extrema Unctione, Ordine & Matrimonio plena & diffuſa mentio eſt; ritus in cujuſq; Sacramenti adminiſtratione adhibendi religioſè notantur, miniſter præſcribitur, tempus, locus, conditiones deniq; omnes aſſignantur. Neq; eſt, quod novitatem obtendant hæretici, cùm horum librorum authoritas, ſumma antiquitate fruatur, ut multis oſtendunt *Allatius* lib: 3. de conſenſione Eccleſiæ orientalis cum occidentali, *Arcudius* in toto ſuo libro de eodem conſenſu, & poſt eos *Renaudotius* in variis operibus Liturgicis maximè

Tom: IV. & V. *Perpetuitatis fidei.* Hinc *Allatius* mox laudatus cap. 16. ſic perſtringit *Caucum* num: 3. ut probet & Confirmationem, & extremam Unctionem eſſe de numero Sacramentorum apud Græcos: *Liber ritualis Græcorum in quo modus adminiſtrandi Sacramenta deſcribitur, horum quoq; Sacramentorum ordinem & ritum, non clanculùm & per latebras, ſed palàm & apertiſſimis verbis proponit.* Verum omni exceptione validius illud argumentum eſt, quod Eccleſia Græca in Concil. Florent. ne minimam quidem propoſuit circa ſeptenarium numerum Sacramentorum difficultatem, nec ulla mota fuit de hac re controverſia, imo ut obſervat *Allatius* loco mox laudato, jam Græci a Concilio diſceſſerant, cum factum eſt Decretum pro inſtructione Armenorum circa Sacramenta. Item ibidem cap. 9. n. 6. ſic loquitur de Græcis: *Septem Eccleſiæ Sacramenta agnoſcunt, eaq; ab Epiſcopis & Sacerdotibus ſolemni ritu accipiunt.*

Plura de hac re tùm ex ſcriptura, tum

tùm Traditione infra adducentur, ubi agemus de Sacramentis in particulari.

§. III.

Obiectiones Protestantium solvuntur.

Objic: 1. Græci non agnoscunt septenarium numerum Sacramentorum: Ergo. *Prob: ant:* Græci Baptismum & Euchariſtiam ut Sacramenta solum venerantur; cætera vero veluti quædam sacra signa & habuisse, & nunc habere, ergo.

Resp. nego prob. ant. Nam cum Græci clarè doceant, non solùm Baptismum & *Euchariſtiam* gratiam producere ex vi operis, sed etiam reliqua quinq; id præstare, ut legenti Tractatum *Meletii* Syrurgi supra laudati patet, incassum conantur debellare numerum usu tot sæculorum firmatum. Et vero septem Sacramenta, cæremonias sacras à Christo immediatè institutas appellant, quæq; vim animas sanctificandi habent, aliaq; similia in libris hac de re editis tradunt adeo clare, ut mirum sit, Protestantes posse de eorum circa Sacramenta fide dubitare.

Op-

Opponunt. *Cyrillus* Lucaris nomine totius Græcæ Ecclesiæ confessionem Genevensem suscepit; & ipsi adhæsit *Joannes* Carriophilus; ergo.

Resp Fidem non esse habendam *Cyrillo* & *Joanni*, quippe qui ambo ob suos errores, ille in synodo Constantinop. iste in Jerosolymitana proscripti fuerint; tum á *Meletio* Syrurgo, tum a *Dositheo* in variis Tractatibus confutati sunt. Nomine ergo proprio *Cyrillus* probavit Confessionem Genevensem, non nomine Ecclesiæ Græcæ.

Urgent. *Jeremias* Patriarcha, & *Gregorius* Proto-Syncellus non nisi duo Sacramenta a Christo fuisse instituta, scribunt; ergò ex ipso Græcorum testimonio &c.

Resp. dist. Sunt tantùm duo Sacramenta in materia & forma a Christo etiam in individuo determinata, *conc*: ab eodem in genere & specie instituta, *nego*. Ultro fatemur solius Baptismi & Eucharistiæ tum materiam tum formam in individuo esse a Christo determinatas, attamen sicut nos ita & Græci propugnant septem Sacramenta fuisse a Chri-

Chriſto inſtituta. Hoc ipſum concedit *Jeremias* Patriarcha *Reſp*: 2. *ad Theologos Wittembergenſes*, alias nihil probaſſet adverſus Lutheranos, qui quinq; exſufflabant Sacramenta.'

Replicant Synodus in Moldavia celebrata anno 1642. & in Conſtantinop: Concilio confirmata ſub *Partenio* ſeniore, nullam facit de *Cyrillo* Lucari mentionem, qui tamen adhærebat Calviniſtis; ergò conſentiebant Proteſtantibus Græci.

Reſp: Nulla fit mentio *Cyrilli* explicitè, eo quod deficientibus teſtimoniis pepercerunt Præſules ejus Perſonæ, fit tamen mentio de ejus doctrina profligata; ſic enim inſurgunt adverſus ejus confeſſionem: *Quia in articulo decimoquinto quinq; rejicit Sacramenta Eccleſiæ - - - quæ traditio tanquam res ſacras, Divinam gratiam conferentes exhibet - - - proſcribitur.*

Objiciunt 2. Scriptura nullibi meminit ſeptennarii numeri Sacramentorum; ergò.

Reſ: 1. *retorqueo argum.* Nullibi ſcriptura diſerte dicit, Sacramenta, vel duo

eſſe,

esse, vel tria, ergò si nos agimus contra Scripturam, septem propugnando novæ legis Sacramenta, pari ratione accusandi sunt Lutherani & Calvinistæ, qui duo aut tria contendunt.

Resp: 2. *Concesso ant: nego conseq;* Ut enim constet hæc veritas, satis est, quod in verbo Dei expressè contineatur; atqui dogma de septennario numero Sacramentorum expressè continetur in verbo Dei, vel scripto, vel tradito; aliundè verò ad infallibilitatem verbi Divini nihil interest, sive sit consignatum literis, sive vivæ vocis oraculo acceptum; ergò.

Instat. Atqui ita silet scriptura de septennario numero Sacramentorum, ut duo tantum esse doceat; ergò. *Prob: sub.* Joan: 19. ver: 34. sic legitur: *unus militum lanceâ latus ejus* (Christi) *aperuit, & continuò exivit sangvis & aqua;* hinc sic inferunt argumentum. Locum hunc antiqui Doctores sic explicant, ut per aquam, baptismum, per sangvinem Eucharistiam velint, debere intelligi; hæc enim fuit SS. *Chrysostomi, Cyrilli, Augustini, Damasceni,* & Græcorum penè omnium sententia. Hinc natum com-

commune effatum: *Sacramenta ex latere Christi de cruce pendentis, fluxisse:* ergò ita silet scriptura septennarium numerum Sacramentorum, ut duo tantùm esse in contrarium doceat.

Resp. nego. sub: ad prob: admitto auth: & concesso ant. nego. conseq; Nam 1. Mysticæ scripturarum expositiones tanti non sunt ponderis, ut per illas septennarius Sacramentorum numerus expugnetur, quia arbitrariæ sunt; neq; illis inhærere necessarium est. *2do.* Etiamsi per sanguinem Eucharistìa, & per aquam baptismus necessariò intelligerentur, perperam tamen hic inferretur duo tantum juxta scripturam esse Sacramenta; quia exclusivum sensum hæc explicatio non haberet.

Inst: Atqui ita per sanguinem Eucharistia, & per aquam baptismus videntur debere intelligi, ut cætera excludantur; ergo. *Prob. sub.* Apocal: cap: 17. v. 7. hæc leguntur: *Dixit mihi Angelus quare miraris? ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem:* Atqui inquit Kemnitius 2.par:exam:Concil: Trid: *per capi-*

pita ſeptem ſignificatur ſeptennarius numerus Sacramentorum, pertinens ad beſtiam ſcilicet ad Antichriſtum; ergo ſi hæc duo Joannis teſtimonia conferantur, ſic videtur per primum, binarius Sacramentorum numerus adſtrui ut per alterum ſeptennarius excludatur.

Reſp. nego ſub: ad prob: admitto auctoritatem, & nego min: puderet ad tam abſurdam, & impiam ſcripturæ interpretationem reponere, ſi Kemnitium ſuæ temeritatis aliquatenus puduiſſet. Quid enim inſulſius fingi poteſt, quam per ſeptem capita beſtiæ, ſeptem Sacramenta ſignificari, quæ in Catholica Eccleſia celebrantur? cum non dixerit Joannes: *Ego dicam tibi Sacramenta mulieris* quod dicere debuerat, ſi de ſeptem Sacramentis, ab Antichriſto invehendis loqui propoſuiſſet, ſed in ſingulari dixerit *Sacramentum.* Deinde quid ſeptem his capitibus ſignificetur, ſtatim aperit S. Evangeliſta; ait enim ibidem verſu 9. *ſeptem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & ſeptem reges ſunt.* Deniq; ſi per ſeptem capita, ſeptem debeant Sacramenta intelligi, communi-

cant,

cant, velint, nolint, hæretici beſtiæ capitibus, & nefariam Antichriſti doctrinam, ex parte ſaltem amplectuntur; numerant enim inter beſtiæ capita, baptiſmum & Euchariſtiam, quæ pro veris Sacramentis habent.

Obji. 3. Cúm ſeptem eſſe legis Evangelicæ Sacramenta, apertè Scriptura non dicat, debent, ſi credi ſibi volunt Catholici, hoc dógma ex SS. Patrum traditione adſtruere; atqui hoc non poſſunt; ergo ſeptennarius Sacramentorum numerus legitimam auctoritatem non habet.

Reſp. conc. maj. nego min. Nullum enim eſt ex ſeptem numeratis Sacramentis, quod Doctorum veterum auctoritate non vindicetur; quod quidem ſi locus eſſet, innumeris teſtimoniîs demonſtrare proclive eſſet; interim ſufficiat generalis quam ſupra adduximus probatio. De hac enim re ſæpe rediturus eſt ſermo, ubi de unoquoq; in ſpecie Sacramento agetur.

Inſtabis. Patres ſeptem eſſe Sacramenta nuſquam affirmant; ergo.

Reſp. 1. retorqueo argum. Patres nulli-

bi dicunt duo, aut tria, aut quatuor definito numerô eſſe Sacramenta; ergo ſi quid probat Adverſariorum argumentum, pari ratione conſequens erit, nec unum quidem poſſe aſſeri Sacramentum, quandoquidem certum eorum numerum Patres non expreſſerint.

Reſp. 2. diſt. ant. Patres ſeptem eſſe Sacramenta nuſquam affirmant, id eſt, numerum hunc more arithmetico non concludunt, *conc.* id eſt, res ipſas numeratas non admittunt, quibus neceſſariò numerus iſte completur, *ſubdiſt.* si seorſim ſpectentur, *conc:* si conjunctim, *nego ant. & conſeq.* poſſunt ex uno volumine res numeratæ certò cognoſci, etiamsi rerum numerus ibidem non exprimatur. Sic e. c. ex Scripturis novi teſtamenti certò cognoſcimus, quatuor eſſe Evangelia, & quatuordecim epiſtolas S. Pauli, etiamſi nullibi Scriptura id dicat; ita pariter etiamſi Patres de ſeptennario Sacramentorum numero arithmeticè definiendo ſolliciti non fuerint, ex eorum tamen ſcriptis, non ſeorſim quidem, quia non omnes ſcripſerunt de omnibus, sed ſecum invicem comparatis, certiſſimè col-

colligimus eos in rebus ipsis numeratis consentire. Id quod sequenti argumento invicte probatur. Ecclesia Catholica septennarium Sacramentorum numerum sine ulla dubitatione admittit; eorum conferendorum ritum, in omnibus suis ritualibus & Euchologiis antiquissimis præscribit; hujus doctrinæ quò primúm tempore introducta fuerit, nullum potest ab hæreticis initium assignari; accepit ergo illam Ecclesia ab infallibili & invariata Patrum traditione, atq; adeo Patres in rebus numeratis conveniunt.

Objic. 4to. Cur Patres septennarium Sacramentorum numerum neglexerunt assignare, nulla causa probabilis afferi potest; ergo ex eorum silentio merito infertur, quod septem non tenuerint Sacramenta.

Resp. nego ant: & dico hujus silentii duas potissimúm fuisse causas. *1ma.* ideo de sacramentorum numero siluerunt, quia necessarium non putârunt: sciendum enim, sanctos PP. non omnium divinorum dogmatum explicationem singulos suscepisse, quod otiosorum hominum foret; sed eorum tantùm, quæ ab

hæreticis, diverſo tempore impugnabantur. Sic e. c. non ſcripsit de univerſa Theologia S. *Athanaſius*, quia non vacabat per otium, sed in hoc operam omnem poſuit, ut contra Arianos sua ætate Ecclesiam devaſtantes, Verbi Divini conſubſtantialitatem defenderet; immeritò itaq; dicitur, ſanctos Doctores id omne negaſſe, quod tacuerunt; quod ut perſpicuum fiat aſſero ex ipſa Sacramentorum materia palmare exemplum.

Sancti *Juſtini* temporibûs, medio circiter ſæculô II. duabus potiſſimum calumniîs Chriſtiani a gentilibus afficiebantur 1. quod eſſent Athei. 2. quod in ſuis conventiculis turpia & nefanda patrarent, in primis vero quod humanis carnibûs immaniter veſcerentur; atroces accuſationes repellere S. *Juſtinus* aggreſſus eſt, edita apologiâ, in qua oſtendit 1. Chriſtianos non eſſe Atheos, cum unum DEUM in tribus perſonis, impenſè omniq; religionis ſtudiô colerent; & data occaſione de baptiſmo ibidem tractavit, qui eſt signaculum fidei & Chriſtianæ religionis primordium. 2. Diſertè pro

probavit, non vefci humanis carnibûs Chriftianos, ut mentiebantur Gentiles; fed Divinæ Euchariftiæ, Corporis fcilicet & Sangvinis Chrifti, in fuis conventibus participes fieri. Hincq; nata opportunitate dicendum illi fuit de Myfterio Euchariftiæ; de reliquis vero Sacramentis, quid opus erat, ut loqueretur? quæ vel erant gentilibus incognita, vel sine calumniæ nota celebrabantur; igitur quod S. *Juftinus* in hoc libro(idem de aliis Patribus eft dicendum) feptem novæ legis Sacramenta nec nominaverit, nec explicaverit, nihil hinc contra Catholicam veritatem inferri poteft. 2*da causa* fuit, nè, quod Dominus in Evangelio prohibet, fanctum canibus & margaritæ porcis objicerentur, id eft, ne fanctiora religionis myfteria venirent in manus & notitiam infidelium, a quibus contemni facilè poffent, & in derisionem converti. Hinc Patres fæpe præfcribunt, fecretiora myfteria, per manus abfq; fcripto tradi debere, ut videre eft apud S. *Bafil:* lib: de *Spiritu S.* cap. 27. & S. Ambros: lib. *de his qui Myfteriis initiantur*, cap. ult. hinc illud S. *Auguft:*

gust: frequens de Euchariſtia effatum: *norûnt fideles*, quo verbô ſignificatum voluit, ſecretum eſſe debere, & ne Catechumenis quidem propalandum Myſterium, de quo loquebatur. Hinc etiam illud *Innocentii I.* Epiſtolæ 1. decret. cap. 3. ubi de forma Sacramenti Confirmationis loquens: *verba*, inquit, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*: & ibidem cap. 8. de Sacramento extremæ unctionis: *reliqua verò*, inquit, *quæ ſcribi fas non erat, cùm adfueris, interroganti poterimus edicere.* Hinc deniq; author operis de Eccleſiaſtica Hierarchia, qui vulgo Dyonisius Areopagita putatur cap. 1. feriò Timotheum admonet, *ne Sancta Sanctorum enuntiet, aut minus perfectis tradat, ſed cum iis ſolis, qui ſancti atq; perfecti fuerint, communicet.* Hanc cauſam fuiſſe dicit, cur non omnia ab Apoſtolis ſcriptô signata, ſed multa de mente in mentem, medio intercurrente verbô tradita fuerint, & poſteris demandata; mirandum ergò non eſt, si de ſeptennario numero Sacramentorum Doctores antiqui siluerint.

Objic.

Objic. ult. Ablutio pedum eſt verum novæ legis Sacramentum; ergò ſunt plura, qúam ſeptem.

Reſp. nego ant. Non enim eſt verum in lege Evangelica Sacramentum, quod nec fuit a Chriſto ſancitum conſtitutione perpetua, nec gratiæ promiſſionem annexam habet, nec vim ejus conferendæ; atqui talis eſt ablutio pedum. *1.* Non habet mandatum perpetuum, quia a Chriſto ideo tantum eſt obſervata, ut eſſet ſignum purgationis, ante inſtitutionem Euchariſtiæ faciendæ; quapropter nullo antiquo canone, nullis Eccleſiaſticis decretis, nullis catechiſticis doctrinis legitur ejus obſervatio fidelibus commendata; immò nec unquam in univerſa Eccleſia celebrata eſt, ut advertit *auctor* librorum de Sacramentis, S. *Auguſtinus* & *Epiph*: *2.* Non habet adjunctam gratiæ promiſſionem, cujus nec in ſcriptura, nec in traditione veſtigium ullum eſt. *3.* Neq; ejus conferendæ vim importat, cum Chriſtus humilitatis argumentum eſſe voluerit, non verò dandæ gratiæ inſtrumentum.

Con-

Consectarium.

Hinc manifestè patet dogma Catholicum de ſeptem novæ legis Sacramentis ad noſtra uſq; tempora intemeratum perſeverâſſe; quandoquidem, ut alia mittam habemus uſum & poſſeſſionem. Vel ipſæ Proteſtantium Ecclesiæ, ubi & altaria & baptiſteria remanent, fidem non modicam faciunt de Sacramentis, maximè fundationes miſſarum, & acta conſecrationis Epiſcoporum, Presbyterorum aliorumq; Sacramentorum non semel in ſcriniis deprehenſa fuêre.

ARTICULUS III.

De efficacia & virtute Sacramentorum novæ legis.

Aliquas Sacramentorum in juſtificationis negotio eſſe partes, neq; omnino otioſum eſſe ac ſterile, quod in eorum adminiſtratione ex Divino præſcripto geritur, nè ipſi quidem inficiantur Novatores, nam si exiſtimarent totum hoc officium inutile eſſe, ab eo penitùs abſtinerent, & apud illos nec baptiſmi neq; cænæ uſus eſſet, nè ſeipſos

ſos

ſos nimirùm ſuperſtitionis, & in DEUM irreverentiæ accuſarent; hinc Sacramenta in pretio ſe habere profitentur. Sic enim *Lutherus* homil. 1. de Bapt. *ad hoc*, inquit, *inſtitutus eſt baptiſmus, ut nobis ſerviat, nobis proſit, nobis donet non aliquid carnale, vel corporale, ſed æternam gloriam. Calvinus* verò in antid. Conc. Trid. ſeſs. 7. ait: *ſemper memoria repetendum eſt, Sacramenta nihil quàm inſtrumentales eſſe conferendæ nobis gratiæ cauſas.* Et paulo poſt: *ſi qui ſunt qui negant Sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus.* Quæ quidem si ingenuè dicta forent, plauſu profectò eſſent accipienda, verúm quod ſe unâ manu adſtruere simulant, alterâ demoliuntur, & Sacramenta nihili se facere significant, nec ullam Sacramentis ineſſe vim ad gratiam conferendam contendunt, *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur baptiſmus,* ait Lutherus lib. de captiv. Babil: cap. de Bapt. cui Calvinus conſentiens lib: 4. Inſtit. cap. 14. *fixum maneat,* inquit, *non eſſe alias Sacramentorum, quam verbi DEI partes, quæ*

ſunt offerre ac proponere Chriſtum. Hinc fit conſequens, ut verba Sacramentorum negent eſſe conſecratoria, ſed merè concionatoria aut promiſſoria eſſe velint; duo ergo hic ſunt probanda, primum verba Sacramentorum non merè promiſſoria ſive concionatoria eſſe; alterum ipſa Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato producere.

§ I.

Oſtenditur verba Sacramentorum nec promiſſoria, nec concionatoria ſed conſecratoria eſſe.

Triplex verbum diſtingvi poteſt; *promiſſorium* ſcilicet, quod exprimit Divinæ gratiæ promiſſionem; *concionatorium* per quod tum ſuſcipiens Sacramentum, tum qui præſentes adſunt de promiſſione inſtruuntur; demum *conſecratorium*, quod conſecrat materiam Sacramenti, & virtute Divina facit quod ſignificat.

Lutherani docent verbum Sacramentale eſſe duntaxat promiſſorium; addunt præterea Calviniſtæ poſt anteſignanum ſuum lib. 4. inſtit. cap. 14. & 15. Ul-

tra

tra verbum promissionis requiri quoq; verbum concionatorium ad instruendos fideles ordinatum, & ad fidem promissionum explanandam. Catholici verò tenent verba Sacramentorum esse consecratoria. Nunc.

Dico Verba essentialiter requisita ad novæ legis Sacramenta nec sunt merè promissoria, nec concionatoria, sed consecratoria.

Prob. 1. *p.* Verbum promissorium destruit rationem Sacramenti; Sacramenta enim aliquem habent effectum, sibi necessariò Divina operante virtute, conjunctum; atqui verba promissionis non habent aliquem effectum præsentem, non enim continuò dat, qui promittit: imò promissio omnis suaptè natura est rei non in præsenti, sed in futuro tempore concedendæ; non enim habeo id, sed expecto, quod promittitur mihi. Hinc *Concil. Trid.* sess. 7. can. 6. anathemate ferit eos omnes, qui propugnaverint Sacramenta novæ legis esse signa tantúm externæ gratiæ vel justitiæ per fidem acceptæ; atqui si verba Sacramentorum essent promissoria dunta-

taxat, forent ſolum signa externa gratiæ, non enim producerent; ergò.

Prob. 2. *p.* Uſus & poſſeſſio legitimi tituli pro aliqua veritate tuenda locum tenent; ſed ex uſu perpetuo Ecclesiæ Sacramenta conferuntur abſq; concione, ut patet in baptiſmo cúm parvuli concionis audiendæ incapaces sint. Quinimò Eccleſia ratum habet baptiſma ab hæreticis collatum, modò sit in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. traditum; nec attendit ad eorum concionem, quæ ut plurimum erronea eſt; sic docet S. *Auguſt.* lib. 3. de Bapt. c. 15. *Quamobrem ſi Evangelicis verbis in nomine Patris* &c. *Marcion conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub iiſdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica fides docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibûs inquinata.*

Confirmantur hæc 1. Officium baptizandi prorſus diverſum eſt ab officio concionandi; ſed si formæ Sacramentorum forent concionatoriæ, utrumq; confunderetur, quod eſt contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 1. dicentem: *non misit me Chriſtus baptizare, ſed evangeli-*

za-

zare: & ibidem 14. *mulieres in Ecclesiis taceant*, attamen licet non debeant concionari, possunt tamen baptizare. 2. Si forma baptismi vg. in concione sita esset, varia essent baptismata; cùm non una sit omnium concio; hæretici enim prava docent, & prædicant, ergo. 3. Hæc verba: *Ego te baptizo, ego te absolvo*, nullatenus sapiunt concionem; ergò.

Prob: 3. *p.* Hoc innuit Apost. 1. Corint. 11. ubi hæc leguntur de confectione Eucharistiæ; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; atqui non fides aut corpus Christi mysticum, sed corpus reale tradendum erat; idem autem illud est, quod consecratur; ergò verba Eucharistiæ sunt consecratoria. Rursus Joannis cap. 6. Christus ait: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* & Marci cap. ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; & iterum ad Titum cap. 3. *salvos nos fecit per lavacrum*; jam verò quomodò fieri posset, ut Eucharistia vitam æternam tribueret, & aqua baptismatis salutem, nisi verba Sacramentorum forent consecratoria; ergo.

Con-

Confirmant hanc veritatem illa 1. Corinth. 10. verba: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* benedictio autem calicis non est nisi ejus consecratio. Suum SS. Patres addunt calculum huic veritati. Inprimis author librorum de Sacramentis, qui vulgò tribuuntur S. Ambros: lib. quippe 4. cap. 4. hæc habentur: *Qui potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis, & cujus sermonibus est? Domini JESU.* S. *August.* lib. 3. de Bapt. cap. 10. (cujus authoritate ex Tract. 80. in Joan. abutuntur Calvinistæ) *Baptismus Christi* (ait) *verbis Evangelicis consecratur, & per adulteros in adulteris, sanctus est.*

Rursús lib. 6. cap. 25. *DEUS adest verbis Evangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest.* Egregium illud pariter est, quod S. Doctor lib. jam laudato 3. cap. 14. habet de Catechumeno loquens, qui in alicujus hæretici concionem incidens, & errorem à veritate secernere nesciens, quidpiam adversus Catholicam fidem imbiberit

ani-

animo, & in ea fidei falſitate baptizatus fuerit, cum denuò baptizandum eſſe negat, *quia*, ait, *illa ſanctitas Sacramenti verbis Evangelicis conſecrata ſuper eum integra permanebat, ſicut eam traditam acceperat; quamvis ipſe in carnalis mentis vanitate conſtitutus aliud, cùm baptizaretur, crederet, quam credere debuiſſet. Quapropter manifeſtum eſt fieri poſſe, ut fide non integrâ, integrum in quoquam maneat baptiſmi Sacramentum.* Atq; hinc quidem duo colligimus quæ Calviniſtarum hypotheſim planè ſuffodiant. *1mum*: Baptiſmum verbis Evangelicis conſecrari judice Auguſtino, non itaq; concionis verbô perficitur: *alterum* Baptiſmi Sacramentum ſtare integrum, quamvis qui ſuſcipit falſa concione decipiatur, & errore aliquo inficiatur, eo ipſo momento quo baptizatur; ut hinc videas non perfici Sacramentum ea ipſa præmiſſa concione, qua fides ſuſcipientis excitatur; ſic enim, ubi falſa & erronea concio eſt, nullum profecto Sacramentum eſſet.

Ob-

Objectiones solvuntur.

Objic: 1. Matth: ult: habetur: *Docete omnes gentes baptizanes eos in nomine Patris & Filii &c.* igitur requiritur concio ad Sacramenti validitatem.

Resp: dist: Christus præcipit concionem ad baptizandos parvulos, *nego.* ad tingendum adultos, *subdist:* tanquam dispositionem, *conc:* tanquam essentialem Sacramenti partem, *nego.* Eam non prærequiri pro parvulis neminem latet, pro adultis vero instructionem de mysteriis adhibet Ecclesia, non ipso tempore quo conficitur Sacramentum, sed præviâ utitur, ut mysteria quæ frequentant fideles, majori cum fide & sanctitate percipiant, & ideo adulti baptizandi, toto instructionis spatio á Cetechismo, dicuntur Catechumeni. Ita Hieron: comment: in locum Math: laudatum: *Ordo,* inquit, *petpetuus jussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramentô, & post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda, præciperent.*

Instant: Ephes. 5. Apostolus ait: *Mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ;* sed verbum est concio; ergo.

Resp:

Resp: dist: Et per verbum vitæ ... intelligit Apostolus sanctissimæ Trinitatis invocationem, *In nomine Patris & Filii, & Spiritûs S. conc.* concionem, *nego*. Hæc interpretatio est S. *Chysostomi*, *Theophylacti*, *Theodoreti*, *Anselmi* & aliorum.

Replicant S Hieronymus Comment: in verba Apostoli *per verbum vitæ* intelligit doctrinam, & defactò Christus Marci ult: ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; sed fides per concionem habetur, aut saltem excitatur; ergo &c.

Resp: dist: Et S. Hieronymus, omisso sensu literali, adhæsit mystico, *conc.* & exclusit literalem, *nego*. Non enim in uno loco S. Doctor probat Sacramenta facere, quod significant, sed eo loci nomine *lavacri* intelligit generaliter quamcunq; purgationem, sive quæ fit doctrina & instructione; sive eam, quæ vi Sacramenti producitur. *Ad probat*: *dist*: Christus exigit fidem in parvulis, *nego*. ideo enim baptizantur, ut fidem suscipiant, quocirca Patres post *Dionysium*, Baptisma Sacramentum illuminationis nuncupant. Exigit in adultis, *subdist*: per modum dispositionis, *concedo*; tan-

F quam

quam partem essentialem Sacramenti, *nego*. Et verò tametsi Salvator noster svavem habuerit coram Apostolis sermonem, antequam corpus & sangvinem suum pretiosum eis porrigeret, ut habetur Joan: 13. his verbis: *Ante diem festum Paschæ sciens JESUS &c.* liquidò tamen constat, solum voluisse eos habere dispositiones tum humilitatis, tum charitatis ad suscipiendam cum fruge sacram Eucharistiam; quâ datâ, fusam rursus ad eos orationem, & longum sermonem habuit, ut legitur ibidem *cap: 14. 15. & 16.* sed ibi altum est de Cæna silentium. Igitur verba Sacramentorum non sunt concionatoria; quod potest illustrari his verbis ex serm: de Baptismo Christi apud Cyprianum depromptis: *Verborum solemnitas, & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis, Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò ipsam Spiritus S. format, & efficit, & consecrationibus visibilibus visibiliter manum totius bonitatis apponit.*

Urgent. Ambrosius lib: *de initiandis* asserit: vim aquæ batptismatis a prædicatio-

catione crucis profluere; ergo verba Apoſtoli *mundans eam lovacrô aquæ in verbo vitæ* nonniſi de concione intelligenda ſunt.

Reſp: diſt: Virtus aquæ a prædicatione crucis, hoc eſt, ab invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis promanat, *cont.* a verbo concionatorio, *nego*. Hanc ſolutionem eſſe genuinam patet, ex eo, quod Ambroſius loquatur de verbis, quæ ad ipſam diriguntur aquam, & quæ profecto non eſt concionis capax; igitur ſermonem habet de invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ fit eo ipſo momentô, quo aqua infunditur ſuper caput pueri his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres *lib:* 2. *de Sacram: cap:* 3. ubi ſic loquitur: *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocans Patris nomen, præſentiam Filii, & Spiritûs Sancti, utitur verbis cœleſtibus, cœleſtia verba, quæ Chriſti ſunt, quod baptizemus, in nomine Patris, & Filii & Spiritûs S.* ſi ergo ad hominis ſermonem ad invocationem Sacramenti aderat præſentia Trinitatis, paulò magis ibi adeſt, ubi ſermo operatur æternus.

Objic. 2. Authoritatem S. Augúft: ex Tract: 80. in Joan: dicentis: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus .... unde in Actibus Apostolorum legitur fide mundans corda eorum.* Et Petrus Apost: Epist: 1. cap: 3. *Sic & vos baptisma salvos fecit non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est, verbum fidei quod prædicamus*; atqui hoc in loco S. August: vim baptismatis tribuisse verbo concionis non verbo consecrationis manifeste colligitur ex tribus *1mo*: quia virtutem abluendi cor verbo tribuit, non *quia dicitur, sed quia creditur*, quod concionis verbo fidem in suscipientibus excitanti proprium est; verbum enim consecratorium vim aquæ tribuere dicitur a Catholicis, non quia creditur, sed quia dicitur. *2do.* quia ea scripturæ loca, quæ congerit Augustinus, ut verbi baptismalis vim demonstret, de verbo prædicationis & fidei sine dubio intelliguntur, *Hoc est verbum*

fidei

fidei quod prædicamus . . . fide purificans corda ipſorum. *3tio.* Quia cum ſub finem ejuſdem Tractatus dixiſſet Auguſt: infantem aquâ mundari per verbum, continuò, quodnam id verbum ſit, ſubjungit: *hoc totum fit per verbum, de quo ait Dominus, jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis,* quod certè concionis non conſecrationis verbum erat. Hoc eſt argumentum quod ſuperbe efferunt.

Reſp: 1. Quæ mens S. Auguſt: fuerit hoc in negotio patet ex probationibus.

Reſp: 2. Præfatum pariter locum objectum intelligendum eſſe de verbo conſecrationis. Dum igitur ait S. Doctor operari verbum hoc in baptiſmo, *non quia dicitur, ſed quia creditur,* unum ſibi vult, verbum Sacramentale operandi vim obtinere, non ab exteriori ſono vocis, quo, auris obtunditur, ſed ab ipſo ſpirituali ſenſu, quo, fides nutritur, non quidem, quaſi neceſſe ſit, verbum hoc actu credi, ut ſortiatur effectum, ſed quia Catholicæ fidei objectum eſt, quaſi diceret Auguſt: verba hæc: *ego te baptizo &c.* ſanctificandi vim non habent,

quia

quia aurem feriunt, ſed quia maximum fidei noſtræ myſterium complectuntur, cujus virtute ſanctificatur elementum. Unde & ſubdit ibidem: *in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus permanens;* ſeu ut ſchola loquitur, operatur verbum in Sacramento *quod creditur* in actu ſignato, hoc eſt, credi debet ut objectum fidei noſtræ, non quia creditur in actu exercito. Ac ita ſe res habet in hypotheſi Catholicorum, quanquam enim vim regenerandi tribuimus paucu-lis illis verbis, quæ baptiſmatis forma ſunt, non præmiſſis quibusve concionibus fidem ſuſcipientium excitantibus, non ita tamen fieri exiſtimamus, ut credamus eam illis regenerandi vim ineſſe ratione ſoni ſeu probationis ſenſibilis, qua aures obtunduntur, ſed ratione ſenſûs ſpiritualis, propter quem ſignificandum verba ſunt inſtituta, quiq; fidei noſtræ objectum eſt, etſi forte a Miniſtro aut ſuſcipiente re ipſa non credatur.

Quæ porro ab Auguſtino ſubjiciuntur ſcripturæ loca: *hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. . . fide purificans corda eorum,* de verbo quidem concionis in-

telli-

telliguntur, cui etiam ſuo modô (nec nos negamus) vim mundandi Auguſtinus adſcribit, verum non ad baptiſmum, de quo paulo ante loquebatur, referuntur, ſed ad generale Tractatus illius inſtitutum. Auguſtinus enim (bene notandum) interpretatur eo loci dictum illud Chriſti Joan: 15. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis;* probandumq; ſibi ſumit, omnia, quæ ſpiritualiter mundantur, verbô mundari, nempe vel extra Sacramentum per fidem prædicationis, vel etiam in Sacramentis, per verborum Sacramentalium efficaciam.

Quare multa promiſcue congerit ad alterutram inſtituti partem attinentia, quæ ad unicam Calviniſtæ & Lutherani referunt, ut ipſam juſtificationem, quæ Sacramentô præſtatur, verbo concionis & prædicationis adſcribant. Quare dum ſub Tractatus finem ait: *totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*, non ad ſolam baptiſmatis mundationem, ſed ad generale totius Tractatus inſtitutum, dirigit ſermonem, quaſi

dice-

diceret: *Vos mundi estis propter sermonem meum, sive quem me concionantem audistis, & credidistis, sive quo in baptismate sanctificati estis.* Cæterum S. Doctorem de verbo concionis fidem excitante, intelligi nullatenus posse, dum ait, virtutem aquæ baptismatis a verbo repeti, *non quia dicitur*, sed *quia creditur*, imo certo existimasse S. Virum, necesse non esse, ut verbum, quod baptismati regenerandi vim tribuit, aut a conferente, aut a suscipiente, credatur, ut sit validum Sacramentum, duo sunt, quæ hoc palam ostendunt. *1mo.* quod ad conferentem attinet, non ignoravit S. Doctor celeberrimam illam controversiam (de qua infra) de baptismo hæreticorum III. sæculo agitatam. *2do.* quod attinet ad suscipientem, non ignoravit idem S. D. non esse necessarium, ut ille rectam fidem habeat, qui baptizatur, quo validum sit baptismatis Sacramentum, imo non esse id necessarium diserte docet lib: 3. de bapt: cap: 14. cujus verba inter probationes allata sunt. Potest etiam dici Augustinum de baptismo non generatim, & universe loqui, sed de baptismo adul-

adultis collato, & quidem quantum ad vim juſtificandi, atq; idcirco mundandi vim baptiſma ei verbo tribuere, *non quia dicitur, ſed quia creditur;* quia ut mundetur & juſtificetur adultus, ſatis non eſt, ſi conſecrationis & invocationis verba nude & ſimpliciter a Miniſtro proferantur; niſi etiam a ſuſcipiente credantur; prima enim in adultis ad baptiſmum diſpoſitio fides eſt, & quidem explicita Myſterii SS. Trinitatis. Porro ſic ſumptum verbum concionatorium Novatorum cauſam non juvat.

Conſectarium.

Ex dictis obiter colligere licet Calviniſtas habere quidem in ſecta ſua verum baptiſma, quippe qui præſcripta verba conſecratoria baptizando pronuntiant, licet illis vim regenerandi non adſeribant. Nam in baptiſmo verba concionis ſic adhibere ſolent, ut tamen conſecrationis verba non omittant, ſiquidem præmiſſa ſua illa concione Evangelica verba: *ego te baptizo &c.* in ipſa aquæ infuſione, aut immerſione pronuntiant, quamvis baptiſmat s vim ex præmiſſa concione erroneé repetant, propterea

quod

quod per eam duntaxat baptizandorum fides excitetur. At si ab illis quæratur, quomodo fieri possit, ut baptisma puero recens nato, rationis proinde usum non habenti concione perfici possit, quæ in illo fidem excitare non possit? Lutherus cui Calvini sententia primum arrisit, eo argumentô implicitus, nec satis quid responderet inveniens, id demum reposuit, quod ingenui Doctoris, qualem sese jactabat, non est, pueros nempe usu rationis carentes concionem percipere, eamq; idcirço illis esse faciendam. At absurdum quod devoravit Lutherus, fugiendo Calvinus aliud responsum excogitavit *lib: 4. Instit: cap: 16.* nempe pueros rationis usum nondum habentes, quibus concio fieri non potest, baptismum quidem verum percipere, sed tunc esse inutile, futurum vero utile, dum accedente rationis usu, concionis sibi tunc faciendæ intelligentiam assequerentur.

Ut alia missa faciam hoc effugiô sectæ suæ principiis minus hæret Calvinus, dum dicit, pueros absq; præmissa concione, aut illa non intellecta, baptizatos,

Sacra-

Sacramentum validum percipere, quamvis inutile. I. Si concione ipſa percipitur Sacramentum, ut ait Calvinus, certe ubi concio nulla fuit, aut quod idem eſt, intellecta non fuit, non modo inutile, ſed prorſus nullum erit Sacramentum, cum effectus ſine cauſa nullus omnino ſit. II. Pueros illos ſine præmiſſa concione baptiſmate regeneratos, ſicq; ante uſum rationis mortuos, in regnum cælorum admittunt Proteſtantes, ergo iis utile fuit baptiſmatis Sacramentum, ſuoſq; in illis effectus obtinuit. III. Si tunc tantum pueris utile fieret Sacramentum, dum accedente rationis uſu, concionis intelligentiam aſſequuntur, non ergo a prima concione, quæ pueris facta non fuerat, aut ſi facta, non intellecta, vim ſuam baptiſma repetit, ſed ab altera concione, quæ illis uſu rationis utentibus fieri potuit. Nullum ergo eſt alterum Calvini effugium. *Aliter reponunt Diſcipuli* Calvini, pueros nondum rationis uſum aſſecutos, nulla quidem præmiſſa, diſtincta, & expreſſa concione baptizatos eſſe, attamen ea Evangelica verba a Miniſtro baptizante

pro-

prolata: *ego te &c.* loco concionis haberi, cum ea verba Myſterium SS. Trinitatis enuntient, atq; ita verba hæc regenerandi vim habere, non quia ſimpliciter conſecratoria ſunt, ſed quia etiam ſunt concionatoria, inquantum fidem enuntiant & explicant. *At repono:* eſto paucula illa verba a baptizante prolata, concionatoria abſolute cenſeri poſſint, propterea quod Myſterium SS. Trinitatis enuntient, non ſunt tamen ipſi baptizato puero concionatoria, cum nec ab eo intelligantur, nec fidem pueri valeant excitare. Illud ergo, velint, nolint, fateantur Calviniſtæ baptiſmum pueris miniſtratum, concionatorio verbô non perfici, ſed conſecratorio duntaxat; ſeu verbô non perfici, ut fidem ſuſcipientis excitante (quod concionis eſt proprium) ſed verbô materiam ſeu aquam conſecrante, & regenerandi vim tribuente; niſi velint viam inire, quam ſe inveniſſe gloriatus eſt paulo ante Deſiderius Eraſmus, qui Calvino præludendo contendit, pueros ante uſum rationis baptizatos, cum demum illius uſum fuerint aſſecuti, interrogandos eſſe, an bapti-

ptiſmum ſuſceptum ratum habeant, necne? Si reſpondeant ſe ratum habere, pro Chriſtianis habendos eſſe, ſi negaverint, tanquam non Chriſtianos ac inutiliter baptizatos, dimittendos.

§. II.

Oſtenditur Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato producere.

Ne ulla ambiguitas ſit, ſtatim admonemus, opus operatum dici ad differentiam operis operantis, quæ vox licet latina non ſit prout a Catholicis uſurpatur, introducta tamen eſt, & diuturno Eccleſiæ uſu probata, ut planius Catholica veritas populo fideli proponeretur, qua in re, ut in cæteris, moroſiores ſe præbent hæretici Scholarum Magiſtros imperitiæ accuſando, ſed ſcholaſtici illis merito reponunt illud S. Auguſt: contra Creſconium Grammaticum diſputantis, *melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant Populi.*

Jam ut ad propoſitum revertamur, opus operantis in præſenti, vel miniſtri intelligitur, vel ejus, qui ſuſcipit Sacramentum. 1. Certum eſt, Sacramenta

novæ

novæ legis non producere gratiam ex opere, id eſt, ex fide & ſanctitate miniſtri, ut infra dicetur; 2. Pariter certum eſt, non conferre gratiam ex opere ſeu merito ſuſcipientium, quanquam enim adulti, quando ad Sacramenta accedunt, debeant, ſi prodeſſe ſibi ea voluerint, adferre animum per fidem, pænitentiam, aliaſq; hujuſmodi diſpoſitiones bene præparatum, non ab his tamen ſuam efficaciam, ſed ab eo, a quo ſunt inſtituta, recipiunt, id quod palmare parvulorum exemplar demonſtrat, qui, ut ſancti in baptiſmo fiant, nullum bonum opus ſuum jactare poſſunt. 3. Hæc duo ſi vera ſint, conſequens eſt, Sacramenta gratiam ex opere operato producere, id eſt. hôc ipſô, quod ſacra quædam opera ſunt, divinitùs ad ſanctificationem hominum inſtituta.

Dico. Sacramenta novæ legis gratiam ſanctificantem ex opere operato producere.

Prob. 1. ex ſcriptura: per Sacramenta gratiam ſanctificantem ex opere operato produci, nihil aliud eſt, quam per actiones ſacras, quatenus a Chriſto ſunt

inſti-

institutæ, homines justos fieri; atqui manifestum est ex verbo Dei remissionem peccatorum, sanctitatem animæ, gratiæ infusionem ipsi actioni Sacramentali, ipsiq; Sacramento, quatenus a Christo est institutum, attribui; ergo. *Prob. min:* Marci 16. baptismo tribuitur salus, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Eidem tribuitur introitus in regnum cælorum *Joan:* 3. Remissio peccatorum, & donum Spiritûs S. *Act:* 2. Renovatio & regeneratio *ad Tim:* 3. Sanctificatio Ecclesiæ *ad Ephes.* 5. Gratiæ collatio tribuitur impositioni manuum, quæ fit in Sacramento Ordinis 2. *ad Tim:* 1. Infusio S. Spiritûs impositioni manuum, quæ fit in Confirmatione *Act.* 8. & *sic de aliis*; ergo:

Prob: 2. *ex Patribus.* Patres ut præconceptam de Sacramentorum virtute fidem, rationis ipsius adminiculo fulciant, certissima & quasi domestica, quæ natura suppeditat, exempla proponunt. *Ajunt* 1. Tantam inesse vim aquæ divinitùs insitam ad homines sanctificandos, quantam ab initio habuit ad gignendos

pisces:

piſces: *nos piſculi*, ait Tertullianus, *ſecundum Salvatorem noſtrum JESUM Chriſtum in aqua naſcimur, nec aliter quàm in aqua permanendo ſalvi ſumus .... primis aquis præceptum eſt animas proferre; primus liquor quod viveret, edidit: ne mirum ſit in baptiſmo, ſi aquæ animare noverunt.... Primo dictum eſt*, inquit S. Joannes Chryſoſt: *producant aquæ reptile animæ viventis: ex quo autem Jordanis alveum ingreſſus eſt Chriſtus, non amplius reptilia animarum viventium, ſed animas rationales & ſpirituales aqua produxit.* 2. Pari virtute contendunt; renaſci hominem ſpiritualiter per baptiſmum, qua naſcitur carnaliter per naturam. *Si quis mihi dubitando*, inquit S. Gregorius Niſſen: *negotium exhibeat, interrogans qua ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum: oſtende mihi modum nativitatis quæ ſit ſecundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ ſecundum animam ſit, exponam.* Eadem de re luculentum eſt S. Joannis Chryſoſt: teſtimonium *quod eſt* inquit, *uterus embrioni, hoc eſt fideli aqua: quod in utero formatur tempore indiget: quod in aqua minime, ſed momentô omnia perficiuntur.* 3. Sic volunt

aquam

aquam Spiritus S. virtute ad productionem gratiæ promovere, quomodo aqua in ollam projecta, si ignis supponatur, exæstuat, & comburendi vim habet: *quemadmodum infusa lebetibus aqua*, ait S. Cyrillus, *si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit, ita spiritûs efficacitate, sensibilis aqua in Divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur, omnesq; demum, in quibus fuerit, sanctificat.* 4. Non ab uno peculiari experimento exemplum petunt; sed ejus rei testem invocant naturam omnem: *quod si mihi rursus contra subjicias*, inquit S. Gregorius, *quando aqua regeneret? clamabo contra te vehementius: quomodo humida atq; informis natura homo sit? atq; de omni creatura ita oratio progrediens in unaquaq; re exercebitur. qui cælum? qui terra? qui mare? qui res singulares .... ubiq; Divina vis & efficacitas incomprehensibilis est.* Hinc sic instauro argumentum: atqui nisi crederent baptismum & alia sacramenta, gratiam virtute accepta divinitus, & ex opere operato producere, ineptissime hæc tam illustria exempla congererent; aqua enim non

eſt ſignum iners piſcis gignendi, ſed revera ſinu ſuo procreat piſcem; uterus virtute propria concipit, delineat, perficit embrionem: neq; dici poteſt, vis comburendi aquæ ferventi extranea: deniq; ſtultum fuerit negare, quæcumq; in cœlis, in terra, in mari fiunt, a cauſis ſecundis ex opere operato procedere: his igitur tam perſpicuis, tamq; opportunis exemplis ſacri Doctores, tum Ecclesiæ Catholicæ mentem diſerte aperiunt, tum confodiunt hæreticorum adverſam ſententiam.

Prob: 3. *rationibus*. primum ex ratione argumentum antequam afferimus, aliqua jure noſtro petimus nobis concedi, quæ non putamus vocari poſſe in dubium 1. *eſt*: baptiſma infantibus actualis fidei per ætatem incapacibus valide conferri. 2. *eſt*: amentibus, dormientibus, omniq; per morbum ingraveſcentem uſu rationis deſtitutis, Sacramentum baptiſmi legitime miniſtrari, cujus rei memorabile S. Auguſtinus exemplum prodit *lib*: 4. *confeſ*. *cap*: 4 de quodam amico ſuo, qui cum febribus laboraret, *jacuit diu ſine ſenſu, in ſudore lethali, & cum deſpe-*

rare-

raretur, baptiſmum accepit neſciens, & mente atq; ſenſu alieniſſimus. 3. *eſt:* olim in univerſa Eccleſia, non modo baptiſmum, ſed & confirmationem, & Euchariſtiam, pueris a partu recentibus data fuiſſe, quem morem etiamnum Græci & orientales obſervant; vel dicendum Sacramenta infantibus, dormientibus, & alia quavis cauſâ rationis uſu carentibus, amentibus fruſtra dari, vel ſi dari creduntur utiliter, neceſſario erit fatendum, quod gratiam ex opere operato producant; atqui Lutheranis ipſis & Calviniſtis judicibus, his hominibus non dantur inutiliter Sacramenta: ergo fateantur, neceſſe eſt, Sacramenta ſuos effectus ex opere operato exerere. *Maj. pat:* nam tunc dantur inutiliter Sacramenta, quando certum eſt ſuos effectus habere non poſſe. 2. Petitur ex definitione Sacramentorum; niſi enim virtute polleant, Divinitus inſita ad gratiam producendam, certe in ipſo fonte, ipſoq; principio, ab omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus turpiſſime erratum eſt: atq; adeo redundat error, in univerſam Eccleſiam, cujus ſenſum expreſſerunt, ita enim ad

unum omnes Sacramenta definiunt, ut illis gratiæ ex vi operis producendæ efficientiam vindicent.

Solvuntur objectiones.

Objic' 1. Non debent novæ voces in Ecclesiam introduci: ait enim Apostolus 1. ad Tim: 6. v. 20. *o! Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*: atqui vox illa (ex opere operato) tum barbara est, tum recens, & veteribus prorsus inaudita; ergo.

Resp: dist: maj: Non debent novæ voces in Ecclesiam introduci, quæ novam doctrinam enuntiant, *conc:* quæ exprimant dogma antiquum *subdist:* non debent admitti privato cujusq; consiliô, *conc:* publica Ecclesiæ authoritate, ita ut penes illam non sit antiquo dogmati, voces novas pro temporum conditione accommodare, *nego maj:* similiter *dist: min:* vox illa: *ex opere operato*, nova est, quantum ad sonum, *conc:* quo ad sensum, *nego min:* & *conseq:* Ad mentem Apostoli prophana vox est, quæ novam doctrinam obtrudit revelationi contrariam: ideo, inquam, prophana, quia Dei veritatem offendit, unde ait ibidem: *devitans*

vitans prophanas vocum novitates & opiniones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt: quantum verò spectat ad voces, quæ licet sonum habeant novum, antiquum tamen dogma significant, tam est in potestate Ecclesiæ eas approbare, quam explicare doctrinam Christi, & populo fideli, omni semota ambage, proponere.

Instabis, atqui ea vox non est minus sensu nova, quam sono, ergo: *prob: subs.* Locutio hæc novum & erroneum dogma significat, qua dispositionum omnium, ipsiusq; fidei nulla, in adultis Sacramenta suscipientibus, necessitas esse monstratur; atqui ideo volumus, Sacramenta gratiam ex opere operato producere, quia in adultis nullam requiri præviam ad Sacramenta dispositionem contendimus; ergo.

Resp: nego subs. ad prob: conc: maj: nego min: & dico: tetram hanc hæreticorum esse calumniam; tantum enim abest, ut fidei aliarumq; dispositionum apparatum in adultis Sacramenta suscipientibus, Catholici non requirant; ut e contrario absolutè esse necessarias uno ore pronuntient:

tient: eaq; de causa doceant, a Sacramentorum participatione arcendos, qui nolunt a peccatis recedere, & vitam in melius commutare: hinc Concil: Trid: magna diligentia dispositiones baptismo præmittendas *ses. 6. enumerat, & alibi sess. 14. falso*, inquit, *quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ absq; bono motu suscipientium, gratiam conferre; quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.*

Instabis. Juxta doctrinam Scholarum in Rom: Ecclesia approbatam, Sacramentorum veteris & novæ legis hæc est differentia, quod priora gratiam ex opere operantis producerent, nostra verò ex opere operato; atqui nullum esset tale discrimen, nisi opus operatum internas omnes cordis dispositiones excluderet; ergo.

Resp. conc: maj: nego min: Quemadmodum enim, licet ignis ex opere (ut sic dixerim) operato, appositum lignum comburat, hoc non impedit, quominus præviæ quædam in ligno debeant esse dispositiones; pariter de Sacramentis novis

hoc

hoc dicimus, quæ quantumvis ſint efficacia ad medendum, ſi tamen indignè ſuſcepta fuerint, non medentur, non ſuo, ſed ſuſcipientium vitio; econtra verò Sacramenta veteris legis, cum nuda eſſent ſigna & otioſa, de ſe præſtare nihil poterant; undè in hoc tempore juſtificatio hominis, a Deo quidem, ut etiamnum, tanquam a cauſa principali, ab opere vero hominis, bono ſcilicet, ejus motu, tamquam a cauſa ſecundaria fuit.

Inſtabis. Nunquám agnoverunt Patres in Sacramentis veram gratiæ conferendæ virtutem; ergo nova illa doctrina eſt.

Reſp: nego ant: Ut enim palam omnibus fiat, quam immeritò hæretici Doctorum veterum patrociniô glorientur, ſatis ſuperq; fuerit adducta ſuperius Patrum teſtimonia cum ſcriptis Lutheranorum & Calviniſtarum, ſedata, & ab omni præjudicio libera mente conferre. Iſti quidem cùm nolint ullam Sacramentis ad ſanctificandum ineſſe virtutem; conſequens eſt, ut Divina beneficia parvi pendant, & penè in nihilum redigant;

pro-

hincq; nihil prodeſſe, & nudas eſſe picturas audacter pronuntiant. At longe aliter Patres de Sacramentis loquuntur; eorum enim dignitatem & efficaciam verbis quám poſſunt magnificentiſſimis prædicant; diſtant ergò a Lutheranis & Calviniſtis longiſſimè; eos enim oportet diſcrepare ſenſu, qui diſcrepant verbis; mendacii itaq;& ignorantiæ, novi hæretici revincuntur, quando affirmare non verentur, nunquam Patres agnoviſſe in Sacramentis veram gratiæ conferendæ virtutem.

Objic: 2. Illud ſolum vim habet juſtitiæ conferendæ, quod ſolum, etiam cum excluſione Sacramentorum juſtificat; atqui ſola fides cum excluſione Sacramentorum, ſaltem in caſu neceſſitatis juſtificat; ergo.

Reſp: 1. Retorqueo argum: Baptiſmus ſine ullo fidei exercitio infantes juſtificat & ad cælum certò perducit; ergo aliquid præter fidem juſtificandi vim habet.

Reſp: 2. *conc: maj: diſt: min:* Sola fides in caſu neceſſitatis juſtificat ſine Sacramento revera ſuſcepto, *conc:* etiam ſine

Sa-

Sacramenti voto, *nego min:* & *conseq;* Equidem si fides semper justificaret sine Sacramentis, & Sacramenta nunquam sine fide justum hominem facerent; meritò diceretur, in solam fidem refundi debere justitiam & salutem: at longè aliter se res habet, nam 1. Sacramenta aliquando sine fide actuali justificare, exemplum parvulorum invictè probat. 2. Fides adultos justificare non potest sine Sacramentis, in re, vel in voto susceptis, adeo ut si quis fidem profiteretur, & tamen Sacramenta cùm posset, nollet recipere; vel si cúm non posset, nec votum quidem haberet suscipiendi, ille profecto justus non fieret; cujus ratio hinc repeti debet, quod Christi mors, quæ est causa meritoria justificationis & salutis, nemini ad salutem prodest nisi applicetur. *Poculum immortalitatis*, inquit S. Prosper Resp: ad 1. object: Vincent. *quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.* Non uno verbo modo hæc applicatio fit; sed fide, timore, spe, charitate in-

inchoata, & deniq; Sacramentorum ſuſceptione, quæ Chriſtus ad ſanandum hominem ordinavit; qua de re legatur Concil: Trid: *Jeſs*: 6. *cap*: 6. 7. & 8.

Petes 1. Quæ cauſa hæreticis fuerit, negandi Sacramenta effectus ſuos ex opere operato producere, & verbis conſecratoriis confici?

Reſp: ab uno errore in alterum corruiſſe, cùm enim falſò putarent, gratiam ſanctificantem non eſſe aliquid intrinſecum animæ inhærens, ſed vel externam Dei benevolentiam, vel juſtitiam Chriſti, homini imputatam, & veluti exterius applicatam; nec ad juſtificationem aliud requirerent, præter fidem ſive fiduciam, qua Chriſti juſtitiam ſibi profuturam quiſq; confidit: conſequens fuit, ut dicerent, Sacramenta novæ legis nihil operari, & ad hoc tantum valere, vel ut excitent fidem, vel ut ſint notæ quædam exteriores, quibus fideles ab infidelibus diſtingvuntur.

Petes 2. An Sacramenta phyſice, vel moraliter gratiam efficiunt?

Reſp: Sacramenta novæ legis producunt

cunt gratiam phyficè, hoc eft, ut inftrumenta phyfica. Sequitur ex mox dictis. Quoniam fcriptura dicit renafci ex aqua & Spiritu S. quæ particula *ex*, phyficam denotat qualitatem; SS, Patres etiam comparant fæcunditatem aquæ baptifmalis, ejufq; virtutem cum fæcunditate aquarum & maris & fluminum, quæ citra dubium habent virtutem phyficam producendi pifces. Deinde Concilia illud ftatuunt difcrimen inter Sacramenta veteris legis, & novæ, quod ifta producant gratiam ex opere operato, hoc eft, virtute, quam in fe continent, porro virtus moralis non dicitur contineri, cùm potius pendeat ex mera inftitutione, & ordinatione legislatoris, ex quo videtur deduci, alteram opinionem veluti confundere Sacramenta novæ legis cum Moyfaicis. *Vide S. Thomam tota q. 62. maxime art: 1.*

ARTICULUS IV.
De effectibus Sacramentorum.

Effectus Sacramentorum funt gratia & character, quorum alter communis

nis omnibus Sacramentis, alter tribus peculiaris fide Catholica creditur.

§ I.

De gratia Sacramentali.

De gratia quidem quoniam superius actum est, & contra novos hæreticos, demonstratum, quod sit Sacramentorum novæ legis proprius genuinusq; effectus, nihil in præsenti dicendum occurrit, ne actum agere videamur: tantum superest, ut quædam dubia diluamus.

Petes 1. Quid sit gratia sanctificans, quam dicimus esse Sacramentorum effectum?

Resp: cum Concilio Trid: sess 6. cap: 7. & can: 9. quod sic habet: *justificationis unica formalis causa est, justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisq; suam, secundum mensuram quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusq; dispositionem & cooperationem - - - Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remis-*

remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

Petes 2. Utrum gratia Sacramentalis intrinsecum aliquid superaddat gratiæ habituali generatim sumptæ?

Resp: affirmativè: nam Sacramenta producunt hoc ipsum, quod significant; atqui habent singula vim gratiæ cujusdam specialis significandæ; diversimodè ergò gratiam in animam infundunt; atq; adeo gratia Sacramentalis intrinsecum aliquid superaddit gratiæ sanctificanti communiter sumptæ. Deinde, frustra adhiberetur præclara illa Sacramentorum varietas, nisi diversos fines proximos respicerent, & ad effectus diversos dirigerentur; solamq; haberent exterioris spectaculi faciem.

Præterea hoc ipsum evincitur omnium enumeratione Sacramentorum. *Baptismo* enim hoc proprium est, quod spiritualiter hominem in Christo regeneret, quod expiet omnem culpam, pænamq; remittat;

tat; quodq; ſpeciale jus tribuat ad auxilia ſpecialia, ſpirituali generationi, & renato homini convenientia.

Confirmationis effectus eſt, gratia roborans ad fidem, etiam cum vitæ temporalis, & bonorum omnium terreſtrium jactura intrepide profitendam. *Euchariſtia* nutrit fidelem ſpiritualiter, quia per illam fit, ut homo manducet carnem filii hominis, & bibat ejus Sangvinem: hincq; fidem, ſpem, charitatem, pietatem mirum in modum adauget. *De pœnitentia* quid opus eſt dicere? cùm neminem lateat, eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, homini lapſo propoſitam, ut ejus adminiculô redeat ad portum ſalutis, & cum Deo offenſô reconcilietur. Habet pariter *extrema Unctio* proprium gratiæ gradum, ut ait Concil: Trid: ſeſs. 14. doctr: de extr: unct c. 2. *res porro & effectus hujus Sacramenti - - - gratia eſt Spiritûs S. cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando; quâ infirmus ſublevatus,*

&

& morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit: & sanitatem corporis interdum, uti saluti animæ expedierit, consequitur. Per *Ordinem* speciali quadam gratiâ, Ministri idonei consecrantur, qui DEI mysteria dignè dispensent, & sacras functiones religiosè obeant; de hac Apostolus ad Timot: 1. cap: 4. v. 14. *noli negligere,* inquit, *gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Matrimonio* deniq; fit, ut carnis concupiscentia refrænetur, ut sit casta generatio cum claritate, ut suscepta proles Christiané educetur, & fides conjugalis integra illibataq; servetur. Ergo &c.

Petes 3. Quo sensu dicant Theologi, quædam Sacramenta primam, alia secundam gratiam producere?

Resp: Primam gratiam appellari, qua primum anima perfunditur, quam antea peccati macula deformabat; Secundam dici, quæ advenit animæ jam sanctificatæ, & auget gratiam præexistentem; hincq; orta est distinctio in Sacramenta vivorum & mortuorum. §

§ II.

De secundario Sacramentorum effectu, nempe charactere.

Character Sacramentalis est signum quoddam invisibile, impressum animæ, quô homo Christo configuratur, ab infidelibus secernitur, & idoneus efficitur vel suscipiendi Sacramenta, vel susceptorum eliciendi actus. Sic per characterem *baptismi* capax redditur suscipiendi alia Sacramenta; charactere verò *confirmationis* insignitur, ut fortiter se gerat in debellandis Ecclesiæ hostibus; demum per characterem *ordinis* specialiter deputatur ad conficienda Sacramenta. *Kemnitius* contendit characterem esse *Innocentii III.* Papæ commentum. Contra quem.

Dico 1. Quædam Sacramenta imprimunt characterem.

Prob: Juxta Scripturam datur signaculum Spiritus S. collatum per quædam Sacramenta juxta illud 1. Conrint: 1. *qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Hic tres ponuntur effectus regenerationis, quæ

quæ fit per baptiſmum 1. Unctio, quæ fit per gratiam gratum facientem. 2 Signum ſeu obſignatio quædam, qua conſecramur Deo, & deputamur ad ejus cultum, & per hanc intel igitur character, qui a PP. vocatur ſignum & ſigillum. 3. Pignus Spiritûs, id eſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ, juſtificationem conſequens. Ad Ephes: 1. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ,* quæ verba a PP. intelligi ſolent de ſigno baptiſmi. Item cap: 4. *Nolite contriſtare Spiritum S. Dei, quo ſignati eſtis in die redemptionis,* ibi per diem redemptionis nomen regenerationis SS. Patres intelligunt.

Poſt Concilium Florent; in Decreto Unionis, & Trid: ſeſs. 7. can: 9. Catechiſmus Rom: p. 2. n. 30. ſic habet: *eſt autem character velut inſigne quoddam animæ impreſſum, quod deleri nunquam poteſt, eiq; perpetuò inhæret, de quo ita apud S. Auguſtinum ſcriptum eſt: An minus fortè Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota, qua ſcilicet miles inſignitur, potenunt? Illa namq; militi, ad militiam, quam deſeruiſſet, revertenti non nova imprimitur,*

sed antiqua cognoscitur, & approbatur. Hinc idem S. August: Epist: 204. alloquitur fideles. *Vos omnes Christi estis, characterem Dominicum portatis, quem accepistis in Sacramento.* Simile habet lib: 2. contra Parmenianum.

Dico 2. Ex septem Sacramentis tria duntaxat, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem.

Prob: 1. ex jam dictis. 2. hac ratione Theologica *ex S. Thoma hic a.* 6. Charactere insigniuntur fideles, vel ut recipiant ea, quæ Divinum spectant cultum, vel ut pro eodem operentur; sed ad hæc triplex sufficit character; *Baptismi* quidem, ut homo idoneus fiat ad alia Sacramenta suscipienda; *Confirmationis*, ad fidem coram Tyrannis propugnandam; *Ordinis* verò ad conficienda Sacramenta; ergo. *Prob: min:* Per pænitentiam & extremam unctionem removentur solum prohibentia cultum Dei, scilicet peccata; per matrimonium dantur filii Ecclesiæ; Eucharistia vero est totius cultus Divini finis & consummatio, unde, inquit S. D. per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ul-

terius

terius agendum vel recipiendum in Sacramentis; ergo.

Consectarium ex Sancto Thoma.

Cum homo fidelis ad duo deputetur, *primo* quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ; ad hoc insignitur signaculô gratiæ, secundum illud Ezech: 9. *signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium*. *Secundo* autem deputatur quisq; fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea, quæ pertinent ad cultum Dei, ad hoc propriè deputatur character Sacramentalis. Cùm autem totus ritus Christianæ religionis derivetur a Sacerdotio Christi, fit consequens, quòd character Sacramentalis specialiter fit character Christi, cujus Secerdotio configurantur fideles, secundum Sacramentales characteres. Character est nota indelebilis, quia non est peccatis oppositus; est enim ad agendum, abstrahendo, quod hoc fiat bene vel male, quocirca sicut bonus, ita & reprobus minister conficit Sacramentum. Hinc docent Theologi characterem remanere tam in præ-

destinatis, quam reprobis, in illis quidem ad gloriam, in istis verò in opprobrium & contumeliam. Character insuper hoc præstat, ut Sacramenta, quæ eundem imprimunt, reiterari non possint, qualia sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

ARTICULUS V.
De Authore Sacramentorum.

Causa efficiens, altera principalis, ministerialis altera in præsenti distingvi debet: quemadmodum enim in publicis rebus gerendis, alia regis, alia legati potestas est, ita in oeconomia & dispensatione Sacramentorum prorsus aliæ Dei sunt partes, aliæ hominum, qui pro Deo legatione funguntur.

Dico 1. Sacramenta principaliter, & authoritate propriâ instituere, soli Deo eximium est.

Prob: Ille solus potest Sacramenta principaliter & authoritate propriâ instituere, qui solus potest, corporalibus elementis tribuere vim sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ; atqui solius Dei est illa potestas; solus, inquam, ille potest sanctificandi vim cor-

corporalibus elementis, tanquam suæ potentiæ instrumentis communicare; quia sanctitatem dare non potest, nisi ille, qui ex essentia sanctus est; solus potest præsentiâ & immensitate suâ pervadere animam, in qua Sacramentorum effectus recipitur; solus potest gratiam impartiri, quæ est Divinæ naturæ ineffabilis quædam expressio; solus potest charactere indelebili animam insignire, cui Divinorum beneficiorum aut suscipiendorum, aut aliis communicandorum spiritualis potestas est; ergo.

Dico 2. Christus ut homo præcellentem habuit in Sacramentorum institutione potestatem.

Prob: Præcellentem intelligimus potestatem, quæ quamquam Divinâ inferior; tanta tamen est, ut non possit ulli alteri creatæ virtuti æquiparari; atqui Christus ut homo, etsi Divinam potentiam in institutione Sacramentorum non adæquaverit; tantam tamen habuit, quanta nulli alteri creaturæ concessa est. Nam 1. Summâ potestate ipsi collatâ, Sacramenta instituit ipse, quod nemo unquam mortalium attentavit, nec attentare potuit:

tuit: *data est mihi*; inquit Math: 28. v. 18. *omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. - - - sicut misit me Pater*, Joan: 20. v. 21. *& ego mitto vos - - - accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* 2. Quidquid per Sacramenta, etiam sine Sacramentis poterat; nam peccatricem mulierem ab omni expiavit labe peccati, nullo adhibito Sacramentô. *Luc*: 7. *v.* 48. pari modô plerosq; alios Deo reconciliavit solo nutu voluntatis, nominatim verò paralyticum, cui, *confide, inquit, fili remittuntur tibi peccata tua.* Matth: 9. v. 2. cumq; scribæ aliqui intus obmurmurarent: *ut quid cogitatis* ait Matth: 9. v. 4. & seq; *mala in cordibus vestris? quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere? surge & ambula; ut autem sciatis quia filius hominis, habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; & surrexit, & abiit in domum suam.* Ergo non sic Christi virtus á Sacramentis pendebat, quin

pos-

possit aliter peccata condonare, & largiri gratiam; hoc autem tàm magnum privilegium, quis sibi unquam ausus est inter homines arrogare? 3. Est illud Christo ut homini, singulare, quod Sacramentis virtutem omnem, quam habent, merito suo indiderit, nam *passio ejus* inquit S. Thomas 3. p. q. 64. a. 3. in corp: *quæ competit ei secundum naturam humanam, causa est nostræ justificationis & meritorié, & effectivé, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem; sed per modum instrumenti, inquantum humanitas ejus est instrumentum - - - Divinitati conjunctum in persona*: hinc à SS. Patribus Sacramenta dicuntur e latere Christi de Cruce pendentis fluxisse; hinc a Joanne Bapt: appellatur Joan. 1. v. 29. *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, & ab Apostolo Paulo dicitur 1. Corinth: 1. v. 30. *quod Christus factus est nobis sapientia a DEO, & justitia & sanctificatio, & redemptio*: & deniq; ut alia penitus innumerabilia taceam: *Christus*; ait B. Joannes Apocal: 1. v. 5. *dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Con-

Consectarium.

Hincq; intellige, quam meritò causa Sacramentorum efficiens triplex a Theologis distingvatur. *Principalis* scilicet & independens, quæ est Deus; *instrumentalis Divinitati conjuncta*, nimirum Christus ut homo; *instrumentalis separata*, cui ministerii potestas concredita est: in quo ordine sunt Apostoli, eorumq; ad finem mundi successores, de quibus ait Apost: 1. Corint: 4. v. 1. *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Dico 3. Fidei est, Christum Deum hominem omnia novæ legis Sacramenta saltem mediatè instituisse; atq; adeo omnia, & singula juris Divini esse.

Prob: Cùm enim solus Deus possit peccata remittere, Spiritum S. dare, illabi in animam, eiq; gratiæ rorem svavissimum instillare, & sanctificandi vim corporalibus elementis tribuere; consequens est, mediatam saltem & genericam Sacramentorum institutionem ad solum Deum ex fide esse referendam; atq; adeo omnia & singula, in jure Divino contineri; eoq; pertinet definitio

Con-

Concilii Trid: qua anathemate feriuntur, qui dixerint, omnia novæ legis Sacramenta, non fuiſſe à Chriſto JESU Domino noſtro inſtituta.

Conſectarium.

Proximè ad fidem accedit, omnia novæ legis Sacramenta immediatè & ſpecificè, propriô Chriſti ore eſſe inſtituta. Vereor dicere ſententiam hanc, prout ſonant termini immediatè, eſſe revelatam, & aperte in theſauro fidei contineri; tum propter eorum reverentiam, qui ante tempora Concilii Trid: contrarium in Eccleſiæ Catholicæ gremio liberè tenuerunt; tum quia immediata omnium Sacramentorum inſtitutio vivæ vocis oraculô a Chriſto facta nec in Scriptura, nec in Traditione aperte ſignificatur; tum deniq, quia Tridentini Patres, Chriſtum omnium Sacramentorum auctorem definiendo, ab iis conſulto vocibus abſtinuerunt, quibûs ſolet immediata inſtitutio exprimi; ne videlicet, ut obſervant, qui hujus Concilii monumenta ſcripſerunt, Hugonem a S. Vict: Magiſtrum ſenten-

tia-

tiarum, & quosdam alios primi subsellii Theologos damnare viderentur, qui olim pro mediata institutione pugnaverant: satis enim sanctæ Synodo visum est, contra Lutheranos & Calvinistas decernere, septem legis Evangelicæ Sacramenta pertinere ad jus Divinum.

Quod verò sententia hæc proximè cum fide cohæreat momenta plurima svadent. *1mo.* Sic fuit Deus in sancienda lege veteri providus, ut omnia ejus Sacramenta & Sacrificia ipse per se immediatè decreverit, neq; aliud Moysi reliquerit, quám legati & præconis officium. *2do.* Si Christus Apostolis contulisset potestatem aliqua per semetipsos Sacramenta immediatè instituendi, tanti beneficii proculdubio, vel in Evangelio meminissent, vel in Epistolis a se scriptis; alioquin illud tam intempestivum silentium abjectioni magis, quam modestiæ attribueretur, præsertim cûm alia multa memorent á se facta, vel spondeant facienda, quæ longè minoris momenti erant: cumq; aliunde neq; magna sileant divinitus sibi concessa, illudq; non ex arrogantia faciant, sed *in laudem gloriæ*

gra-

gratiæ Dei ut ait Apoſt: Eph: 1. v. 6. atqui nec verbum quidem unum Apoſtolis excidit, quo se quorumdam Sacramentorum auctores inſinuarent; imo non alias ſibi, quam legatorum & diſpenſatorum partes ubiq; attribuunt: *quod vidimus*, 1. Joan: 1. v. 3. *& audivimus, annuntiamus vobis - - - pro Chriſto legatione fungimur'* Apoſt: 2. Corint: 5. v. 20. *quid eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri ejus, cui credidiſtis* 1. Corint: 3. v. 5. *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, ibidem cap: 4. v. 5. ergo. 3. Ejuſdem rei argumentum petitur ex novitate doctrinæ contrariæ; antequam enim Scholaſtica Theologia nata eſſet, prorſus inaudita erat illa mediatæ, & immediatæ inſtitutionis diſtinctio; ſed nudè ac ſimpliciter profitebantur Eccleſiæ Patres, omnia novæ legis Sacramenta æqualiter eſſe munera Dei, & ideo Chriſti Sacramenta vocari, quod ſupremi legislatoris voluntate inſtituta forent, & de latere ejus in cruce pendentis ſingula profluxiſſent; *Auctor Sacramentorum*, inquit S. Ambroſius de Sacram. lib: 4. cap: 4

quis

quis est, nisi Dominus JESUS? de cælo ista Sacramenta venerunt; & S. August: ad Januarium; *Dominus noster JESUS Christus,* inquit, *Sacramentis numerô paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti & baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.*

Quod vero duodecimo & decimo tertio sæculo aliqui opinati sunt, confirmationem & extremam unctionem mediatè tantum a Christo per Apostolos sive per Ecclesiam institutas, nec ab ullo Doctore acceperant, nec persvadere multis potuerunt, quin ècontra S. Thomas ejusdem temporis scriptor, quem universa deinceps Schola secuta est *3. p.* q. 64, *a. 2.* nullo facto mediatè aut immediatè institutionis discrimine docuit & probavit *Sacramenta solum esse ex institutione Divina:* itaq; contraria opinio debet vel hoc solo titulô, quod nova est, rejici.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De *Miniſtro Sacramentorum.*

Num quilibet homo abſq; conſecratione quorumcunq; Sacramentorum miniſter eſſe poſſit, occurrit quæſtio? Novatores, ut in aliis, sic hujuſce quæſtionis occasione diſciſſos video, Lutheranos nimirum & Calviniſtas in extremos hinc inde errores abeuntes. *Lutherus* namq; *lib. de Capt. Babyl. cap. de Ordine*, id principii locô ponit, quoslibet homines, cujuscunq; ſexûs ſupponantur, modo baptizati sint, ex æquo Sacerdotes eſſe, proinde Euchariſtiam poſſe conficere, cæteraq; Sacerdotum officia validè obire. Addit: non licere tamen unicuiq; ſuâ poteſtate uti, ne confuſio in Chriſtiana republica fiat, ſed iis tantum id permiſſum eſſe, qui ad ſacra munia obeunda a communitate delegati ſunt. Id ipſum affirmat Lutherus *lib. de abroganda miſsa*, & libro ad *Pragenſes* annô 1523. elaborato, ubi hæc habet: *Sacerdos in novo præſertim taſtamento non fit, ſed naſcitur; non ordinatur, ſed creatur. Naſcitur autem in baptiſmo, ſuntq; prorſus o-*

mnes

omnes Christiani, Sacerdotes. Sed annô 1534. in lib. de missa privata & unctione Sacerdotum, sacerdotalem potestatem latiùs protendit, nec modo eam quibusvis baptizatis adjudicat, sed plane omnibus, & ipsi Diabolo, modo a Christo Domino institutum observaret.

Calvinus ècontra extremô prorsus laborans errore *in Antid. contra Concil. Trid. ad Can. 10. sess.* 7. non modò baptizatos omnes ex æquo Sacerdotes esse diffitetur, omniumq; Sacramentorum ministros; sed ita munia sacra viris specialiter ordinatis adjudicat, ut ne quidem baptizandi potestatem in laicis agnoscat, etiam urgente necessitate. De Calvini ergo errore alibi ubi de baptismo agemus; de Lutheri duntaxat falso dogmate hic agendum. Quare.

Dico 1. Solus homo Sacramentorum minister esse potest.

Prob. Illi soli sunt ministri Sacramentorum, quibus solis sacra mysteria in Scripturis committuntur; sed solis hominibus &c. ergo. *Prob. min.* Apostolus ad Hebr. 1. de solis hominibus loquitur: *omnis Pontifex ex hominibus assum-*

ſumptus, *pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad DEUM.* Similiter de ſolis hominibus dictum 1. Corint. 4. *Miniſtros nos fecit novi teſtamenti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei;* ſolis hominibus a Chriſto dictum: *hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. *Et quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. quæ loca perpendens S. *Auguſtinus* lib. 3. de Sac. *Angelis negatum eſſe,* ait, *quod hominibus conceſſum eſt.* Et vero cùm res naturales, uti materia Sacramentorum adhiberi ſoleant, neceſſe quoq; eſt, ut verba naturalia pro formis adhibeantur; atqui ſolus homo verè ac naturaliter loquitur, cúm & locutio corpòris viventis actus sit, organîſq; naturalibus utentis; ergo ſolus &c.

Cæterum conferendo poteſtatem Sacramentorum, non ita hominibus Eccleſiæ Miniſtris largitus eſt DEUS, ut eandem Angelis largiri non poſſit. Quare quia boni Angeli nuntii ſunt veritatis, si aliquod ſacramentale miniſterium a bonis Angelis obiri contingeret, eſſet ratum habendum, quia Divina voluntate factum, cenſendum eſſet. Quo

pa-

pactô S. *Amphilochius* Episcopns ordinatus ab Angelis legitur apud *Nicephorum lib.* 11. *Hist. cap.* 2. illiusq; ordinatio ab Episcopis Comprovincialibus rata est habita. Si verò Dæmones qui Spiritus mendacii sunt, aliquod Sacramentale ministerium obirent, non esset ratum censendum, quod nimirum præsumi non posset, id eos ex Dei delegatione peregisse, *docet S. Thomas q.* 64. *a.* 7.

Nec te moveat, quod *Lutherus* in erroris sui præsidium profert: Sacramentorum efficaciam ex qualitate ministri minime pendere, adeoq; posse quamcunq; rationalem creaturam, ac etiam Diabolum Sacramentum administrare. Nam etsi à qualitate, ut ita dicam accidentali, atq; morali ministri non pendeat Sacramentorum efficacia, à fide nimirum & pietate; à qualitate tamen essentiali omnino pendet; quales inter omnes prima hæc est, ut sit homo.

Dico 2. Etsi solus homo Sacramentorum sit minister (ut dictum) non tamen omnis homo baptizatus, omnium

Ec-

Ecclesiæ Sacramentorum Minister est, sed qui ad id peculiari ritu initiantur.

Prob. Nam, ut ait Apost. ad Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem* (de honore Sacerdotali loquitur) *nisi qui vocatur a Deo*; *tamquam Aaron*; ergo. Nec *dicas* Apostolum de exercitio solùm Sacerdotii intelligendum esse, non de ipsò Sacerdotio; quasi omnes Christiani virtute baptismatis Sacerdotes reipsa sint; nec tamen Sacerdotum munia obire possint; nisi accedente vocatione. Hanc enim interpretationem præcludit Aaronis exemplum ab Apostolo laudatum. Aaron enim ante vocationem nec Sacerdotii usum, nec Sacerdotium ipsum habebat; ergò sacerdotium vocatione accepit; accipiuntq; in exemplo omnes. Præcludit etiam effugium; quod de Christo subjungit Apostolus in suæ assertionis argumentum; *sic nec Christus semetipsum clarificavit; ut Pontifex fieret*, ergo ante clarificationem, quæ sacra unctione fit; nec Pontifex est, nec Pontificatum exercet. Plura sunt ejusdem Apostoli hoc dogma confirmantia loca ad Rom. 12. 1. Corint. 12.

ad Ephes. 4. ubi diverſa eſſe in Eccleſia miniſteria demonſtrat, a Spiritu S ut placuit, diſtributa, nec omnia omnibus, ſed ſingula singulis convenire ergo non eſt miniſtratio omnium, qu in Eccleſia ſunt, ſed aliquorum duntaxat de Ecclesia.

Suffragatur ſtatuto dogmati univerſa Patrum traditio, qui Sacerdote ſpecialibûs ritibûs, conſecrationibu inaugurandos decernunt, illoſq; ita inauguratos a plebe ſegregant. Sic inte alios S. *Ignatius* M. in Epiſt. ad Ephesios, Magnesianos &c. *Tertul.* de *Præſcrip.* cap. 41. *S. Cyprianus lib. de lap.* & *Epiſt.* 34. 35. 51. *Optatus* Milevit. lib. 2. *Epiphanius* hær. 49. *Chryſoſtoms* lib. 3 de Sacerd. *Hieronymus* Epiſt. 1. ad Heliodorum, *Auguſtinus* Epiſt. 181. ad Honoratum.

Accedit veteris legis exemplum. Quamvis enim illius Sacramenta inferioris eſſent dignitatis, nec nisi egena elementa cenſerentur, illorum tamen adminiſtrandorum poteſtas non omnibus promiſcuè inerat, ſed aliquibus à Deo ſpecialiter deſignatis. Hinc & Osi-

Osias Rex leprâ punitus eſt, quòd Sacerdotalia munera uſurpaſſet 2. *Paralip.* 26. quantò minus ergò novæ legis Sacerdotium omnibus commune erit.

Objicit Lutherus. fideles omnes reipſa eſſe Sacerdotes docet Scriptura; ergò. *Prob ant.* Petrus Apoſt. 1. Epiſt. cap. 2. ſingulos fideles alloquitur: *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Chriſtum - - - vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus aquiſitionis;* atqui his verbis Sacerdotium, & hoſtiarum offerendarum poteſtas ſingulis tribuitur; ergò. *Apoc. cap.* 5. Fideles ita Deum alloquentes inducuntur: *feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.* Item cap. 20. de omnibus fidelibus legitur: *Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti ejus;* ergò.

Reſp. ad 1. Patet ex textu de ſpirituali duntaxat Sacerdotio, nec non de ſpiritualium hoſtiarum offerendarum poteſtate hic agi; quia videlicet quilibet Chriſtianus, ob accepta beneficia laudes Deo perſolvit, & gratias agit,

cordis ſacrificium pro delictis admiſſis offert, juxta illud Pſal: 50. *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus ;* Non de Sacerdotio ſtrictè ſumpto ſermo eſt, cujus muneris eſt, verum Chriſtianæ legis ſarificium, Euchariſtiam offerre, eamdemque ac cætera Sacramenta fidelibus adminiſtrare , Eccleſiam regere , Dei verbum prædicare. Hoc ſenſu locutum fuiſſe Petrum Apoſtolum tria præſertim evincunt. *I.* quod diſertiſſimis verbîs dicat : *offerre ſpirituales hoſtias ,* quod vel uno verbo de ſpirituali duntaxat Sacerdotio ſermonem habere plus ſatis indicat. *II* quod regnum æquè ac ſacerdotium fidelibus adjudicat , *regale,* ait, *Sacerdotium ;* qua itaq; ratione ſpirituale duntaxat regnum fidelibus tribuit, illud ſcilicet , quo vitiis & cupiditatibus dominantur , non verum, ac propriô ſenſu acceptum , quo gentibus ac populis præeſſent, ita nonnisi ſpirituale illis Sacerdotium adjudicat. *III.* maximè notandum, quod hæc ipſa verba D. Petri ex cap, 19. Exodi excerpta ſint, & a Deo ipſo univerſo Populo Judaico olim dicta fuerint: *vos eritis mi-*

mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta. Si ergo ſtricto ſenſu accipienda forent, ut videlicet verum propriumq; Sacerdotium deſignarent, conſequens profecto eſſet, ut in veterè lege Iſraelitæ omnes veri Sacerdotes extitiſſent, quod ne Lutherus quidem admittet, quoniam Sacerdotium uni Leviticæ tribui concreditum erat. *Ad loca ex Apocal. ſumpta ſimiliter dicendum,* eodem ſenſu figuratô accipi oportere; enimvero non de fidelibus vitam hanc viventibus, ſed jam cum Chriſto regnantibus differit Joannes, ut patet res ipſa per ſe. Porro ex quo fideles cælo additi ſunt, nonniſi ſpirituales hoſtias, laudes, gratiarum actiones offerunt, nullaq; temporalis ſacerdotii munia obeunt.

Inſtat Lutherus ponendo ſex officia Sacerdotum Evangelicæ legis; abſolvere, baptizare, conſecrare, de doctrina judicare, orare pro populo, Sacrificium offerre; atqui quivis fidelis habet poteſtatem exercendi hæc ſex officia; ergò. *Prob. min. quo ad 1mum.* unicuiq; fidelium Math. 18. dictum eſt: *quæcunq; ligaveritis ſuper terram, erunt liga-*

ta-

ta & in cœlis, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. 2. Baptizandi facultatem omnibus communem esse ipsa Rom. Ecclesiæ disciplina docet. 3. Consecrandi potestatem universis fidelibus concedit Christus Lucæ 22. *Hoc facite in mei commemorationem* 4. de doctrina judicare omnes posse habetur Matt. 7. ubi omnibus præcipitur, ut attendant a falsis Prophetis. 5. Orare pro populo omnes debent, cúm oratio Dominica communis sit, omnesq; pro nobis invicem orare jubeamur. 6. Ad sacrificii offerendi facultatem quibusvis fidelibus communem, detorquet illud Apostoli Rom, 12. *Sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum;* ergò.

Resp. Nihil ex his in favorem erroris sui concludere potest Lutherus. *Non ex primo.* Hæc enim non unicuiq; fidelium dicta sunt, sed solis Apostolis eorumq; successoribus ut unanimi sensu docent Patres. *Nec ex secundo*: nam conferendi baptismatis potestatem, quæ Sacerdotibus propria dicitur, ordinariam esse, & cum solemnitate exercendam,

dam, nullus dubitat, qualem certè omnibus communem esse Ecclesia Rom. non docet. Et quidem si quid ex Ecclesiæ Rom. professione posset extundi, quod illi faveret, æquo jure colligeret, non modo quoslibet baptizatos, sed & Judæos & Ethnicos Sacerdotes quoq; esse, utpote qui baptisma urgente necessitate conferre possunt. *Nec ex tertio*: Hæc enim verba ad solos Apostolos dicta sunt. *Nec ex quarto*: Nam quod unusquisq; a falsis Prophetis cavere debeat, non illico doctrinæ judex & arbiter est; ea namq; cautela a privata prudentia proficiscitur, doctrinæ verò judicium publicâ duntaxat authoritate ferri potest. Quare tametsi fateremur, cuiq; privato spiritum Dei assistere, ut seipsum privatim regat, noritq; quod credere, quid tenere ex religione deberet (quod præsentis instituti non est) necdum propterea sequeretur, ut ex officio de doctrina judicium ferre posset, quo pactô Sacerdotes id possunt. *Nec ex quinto*: Aliud quippe est privatim ex officio charitatis pro fratribus preces fundere, aut publicum in Ecclesia se-

que-

queſtrum agere, publicaſq; orationes è loco ſacro recitare, ſupplicationes populi, uti publicum advocatum decet, Deo offerre, quod Sacerdotum ſingulare munus eſt. *Nec ex ſexto*: Illud enim Sacrificium verum & proprium non eſt, ad quod veri legis Evangelicæ Sacerdotes non deſtinantur; quare in illo offerendo ſibi ipſi Sacerdos eſt. Verúm alterius profectò generis eſt legis Evangelicæ ſacrificium, quo Chriſtus immaculata hoſtia, omnipotenti DEO offertur, incruento quidem, ſed vero tamen modo, ab iis ſolum, qui ſpeciali ad id unctione conſecrantur.

Jam quod attinet ad mulieres, quas perinde ex ſacri baptiſmatis inſtitutione Sacerdotes eſſe, omniumq; Sacramentorum adminiſtrandorum capaces Lutherus exiſtimat, unum eſt, quod ex ſacris literis in earum gratiam poſſit proferri: illud nempe dictum Apoſt. ad Gal. 3. *In Chriſto JESU neq; mas eſt neq; fœmina*. Quo olim Quintiliani & Pepuzeni abutebantur, ut indiſcriminatim mares & fæminas in Epiſcopos & Sacerdotes inungerent. Verum ſequen-

tia

tia Apoſtoli verba docent, non de miniſteriis in Eccleſia obeundis, Apoſtolum agere, quaſi in iis obſervanda nulla ſit diſtinctio ſexuum, ſed agere de vocatione ad fidem, deq; ſpirituali adoptione in filios DEI, proinde addit: *omnes filii Dei eſtis per fidem.* Coronidis loco obſervandum apertam ab orbe condito ad hanc uſq; diem conſvetudinem repugnare ſyſtemati Lutheri; nulla enim lex paſſa eſt, nulla ætas ut mulieres Sacerdotiô fungerentur. Ab Adamo ad Moyſen capita familiarum ſacrificia offerebant, nulla mulier. A Moyſe ad Chriſtum Aaronicæ ſtirpis maſculi, ſecluſis fæminis, altari præſto erant. A Chriſto ad hanc diem, nulla, quam ſciam, mulier ſacris operata eſt, nisi apud Quintilianos & Pepuzenos, quos ob id, ut hæreticos notavit Eccleſia. Omnes ab Altaribus ſemotæ ſaltem ex præſcripto legum. Quin etiam prophanæ gentes, idolorum cultui mancipatæ, mulieres ab altaribus ſubmoverunt.

AR-

ARTICULUS VII.

De ritibus seu cæremoniis Sacramentorum.

Ritus seu cæremoniæ Sacramentorum sunt actus exteriores religiosi; quædam sunt Sacramentis essentiales; ut sunt, quæ versantur circa materiam & formam, intentionem & potestatem Ministri; aliæ sunt accidentales, quæ ritum essentialem vel præcedunt, vel comitantur, vel subseqvuntur, & sine quibus subsistit Sacramentum. De his generaliter consideratis hic agitur, de iis enim, quæ quodlibet Sacramentum in particulari spectant, dicemus suis locis. Igitur de cæremoniis Sacramentorum ut sic quatuor quærimus 1. quæ sint eorum utilitates? 2. utrum mysticam & symbolicam significationem contineant? 3. utrum sit in Ecclesia potestas eas instituendi? 4. utrum sit obligatio eas observandi?

Dico 1, Variæ sunt utilitates cæremoniarum in Sacramentis à Concilio Trid. & ejus catechismo designatæ. Concilium sess. 22. de Sacrificio missæ cap. 5. sic habet: *Cum natura hominum*

ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissâ voce, alia verò clariore in missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas tanti sacraficii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Catechismus p. 2. num. 10. *Ad materiam & formam,* inquit, *accedunt cæremoniæ, quæ tametsi prætermitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamen si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratîone imminui credendum est. Ac merito quidem a primis usq; Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sanctè tractare videremur: præterea quæ Sacramento effi-*

effi

ciuntur, cæremoniæ ipsæ declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemq; in eis & charitatem excitant: quo major & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam & perfectam habeant.

Ex his habemus cæremonias valere: *1*. ut dignitas Sacramentorum commendetur, eisq; reverentia concilietur. *2*. ut Ministri videantur sancta sanctè tractare. *3*. ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus, efficacia, mysterium, magis innotescant, & quasi ob oculos ponantur, & inde excitetur, & nutriatur fides, & pietas fidelium, eorumq; mentes ad contemplationem supernaturalium erigantur.

Falsò itaq; & columniosè nobis imponunt Hæretici. *1mo*: Nos in his cæremoniis præcipuas cultus Divini partes reponere. *2do*: Nos docere ab eis pendere essentiam Sacramentorum. *3tio*: Nos eis tribuere vim significandi sicut

Sa-

Sacramentis. Hæc ſibi fingunt monſtra, ut oppugnent. Pari jure calumniari poſſunt cæremonias quas Chriſtus adhibuit in inſtitutione Euchariſtiæ, elevando oculos in cælum, benedicendo panem & frangendo; item in inſtitutione Sacramenti pænitentiæ inſufflando in Diſcipulos &c.

Dico 2. Cæremoniæ Sacramentorum non ſunt inſtitutæ ob ſolam decentiam cultus Divini; neq; ob ſolum commodum Miniſtrorum & adſtantium, aut fortuito, ſed etiam ob ſymbolicam & myſticam ſignificationem; quam continent.

Ratio eſt 1mò: Quia alioquin non eſſet ratio, cur ſpecialiter fidem & charitatem fidelium excitarent & augerent, eorumq; mentes ad rerum ſublimium contemplationem erigerent, ut loqvuntur Trid. & ejus Catechiſmus; cûm hæc nonniſi ratione myſticæ ſignificationis præſtent. *2do.* Omnes antiquæ legis cæremoniæ erant ſymbolicæ & futurorum ſignificativæ. In nova lege inſufflatio Chriſti in diſcipulos fuit ſymbolica; *Apocal.* 8. incenſum, eſt ſymbo-

bolum orationis; & multa alia: *3tio:* Nemo est qui tot cæremonias in Sacramentis adhiberi solitas vg. in Baptismo consecrationem aquæ cum chrysmate, oblationem baptizandi ante fores Ecclesiæ, signum crucis applicatum fronti, pectori, oculis, auribus & humeris, exorcismos, impositionem manuum super caput baptizandi, tactum narium & aurium cum saliva, degustationem salis, abrenuntiationem Diabolo, unctionem pectoris & scapularum &c. Nemo est inquam, qui tot cæremonias ad solam decentiam, aut fortuito, aut ad sublevamen Ministrorum & adstantium institutas reputet; cum sint potius in eorum corporale gravamen; sed omnes iis aliquid sublime & Divinum significari apprehendunt.

Dices. Usus cereorum primitus institutus fuit in sublevamen Christianorum, qui noctu in locis subterraneis sacra peragere cogebantur. Similiter usus incensi, ut depelleretur fætor, qui ex his locis exhalabat; ergo.

Resp. Hos usus non ad illos solos fines fuisse institutos, sed etiam in iis mysti-

ſticam significationem intendiſſe Eccleſiam. Juxta *Hieronymum* adverſus Jovin. accendebantur cerei, non ſolum ad depellendas tenebras, ſed etiam in ſignum lætitiæ & fidei vivæ. Thus juxta S. *Thomam* adhibetur, non ſolûm ad depellendum pravum odorem in reverentiam Sacramenti, ſed etiam ad ſignificandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit, & à Chriſto derivatur in fideles officio Miniſtrorum, & ideo undiq; thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem. Plures alias Sacrificii cæremonias ſecundum myſticam significationem ibidem explicat S. Doctor, alias alibi. De omnibus accuratè ſecundum eundem ſenſum diſcurrit *Durandus* Epiſcopus Mimatenſis in *Rationali*.

Dico 3. Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi cæremonias.

Prob. 1*mo*: *Juxta* S. *Auguſt*. *Epiſt*. 54. *aliàs* 118. *Apoſt*. 1. *Corint* 11. hanc poteſtatem indicavit dicens: *Cætera cum venero, diſponam*: & inter hæc, quæ promittit Apoſtolus, agnoſcit Auguſt. cæ-

re-

remoniam seu legem de Eucharistia jejunè sumenda. *2do*: Quovis tempore hanc potestatem in se agnovit & usurpavit Ecclesia. *Justinus* in fine Apologiæ, memorat sacros conventus diei Dominicæ, ordinem precum; benedictionem Antistitum; Diaconorum ministerium; aquæ, viniq; oblationes, & ritum Eucharistiæ consecrandæ. *Tertullianus lib. de Corona militis*, abrenuntiationes, quæ fiunt in baptismo, genuflexiones, signum crucis fronti impressum; consvetudinem standi in orationibus à Paschate ad Pentecosten. *Cyprianus Epist. ad Magnum. Cyrillus* Jerosol. serm. ad Catechum. laudant exorcismos baptismi. S. *Basilius* de Spiritu S. c. 27. cæremonias in Sacrificio missæ usurpari solitas. Idem probant antiquissima Ecclesiæ tam Græcæ, quam Latinæ Ritualia & Liturgiæ: Unde Concil: Trid. sess. 21. cap. 2. *Declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum*

va-

varietate, magis expedire judicaret. 3tio: Ratio, quam innuit Trid. apertè evincit; in omni Republica bene ordinata, admittenda eſt poteſtas diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, quæ pro rerum, locorum & temporum varietate ſunt neceſſaria vel utilia ad ejus conſervationem, promotionem, ornatum & decentiam, civiumq; commodum & ſalutem temporalem; ergo ſimilis poteſtas non eſt Ecclesiæ deneganda in ordine ſpirituali. *Subſumo*: atqui ad conſervationem & promotionem religionis & cultûs Divini, ad Sacramentorum majeſtatem commendandam, eiq; reverentiam conciliandam, ad fidem pietatemq; fidelium excitandam, fovendam, augendam conferunt cæremoniæ; ergo.

Dico. 4. Miniſtri etiam ſecluſô ſcandalô aut contemptu tenentur ſub peccato ſervare cæremonias ſive ab Eccleſia univerſa, ſive a ſua particulari Eccleſia præſcriptas, in adminiſtratione Sacramentorum.

Prob. 1. ex Trid. ſeſs. 7. can. 13. his verbîs: *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sa-*

cramentorum administratione adhiberi consvetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunq; Ecclesiæ Pastorem mutari posse, anathema sit.

2do. Tenemur sub peccato, etiam seclusô scandalô aut contemptu, obedire superiori legitime præcipienti.

3tio: Si cuilibet Pastori privato liceret pro libitu cæremonias Sacramentorum mutare, receptas abolere, antiquatas innovare, aut novas inducere, foret in Ecclesiæ disciplina maxima confusio & deformitas; Ergo.

Petes 1. Quid si casus occurrerit, in quo videantur ritus aliqui prudenter, esse prætermittendi, numquid privatus quilibet poterit in suo sensu abundans, quod bonum visum fuerit facere?

Resp. Vel de casu necessitatis, quæstio ista procedit vel non? si de casu necessitatis, si e. c. mortis imminentis periculum fieri omnia in baptismo infantis non patiatur, quæ facere Ecclesia consvevit, dudum resoluta est difficultas; quid enim in his circimcumstantiis sit agendum, ritualia ipsa præscri-

ſcribunt; ſi verò caſus neceſſitatis non ſit, nihil quidquam debet privatus Miniſter propriô judiciô uſurpare; ſed conſulenda Eccleſia, adeundus ſummus Pontifex, cujus ore loquitur Sponſa Chriſti, ejus reverenter expectandum judicium, & quod præſcripſerit, obſervandum.

Petes 2. Utrum hujusmodi prætermiſſiones, aut quasvis alias in ſacris ritibus immutationes facilè permittere Ecclesia debeat?

Reſp. negative, maximè si de iis cæremoniis ſermo ſit, quas conſtat ab Apoſtolica traditione acceptas: cæteras enim, quas labente ætate, pro variis locorum ac temporum circumſtantiis inſtituit ipſa per ſe, quæq; non ſunt gentium omnium univerſali conſenſione ſuſceptæ, quales Latini, & Græci propriæs aliquas habent non quidem ſine cauſa, majore tamen potest facilitate reſcindere, & ab eorum obſervantia liberare, ut autem in iis ſiſtamus, quas Apoſtolica nobis diſciplina reliquit, dicimus in iis tollendis aut prætermittendis Eccleſiam difficillimam eſſe, &

esse debere; tùm quia continentur in thesauro traditionis, quem violare aut temerè dissipare in sua potestate non habet; tum quia sæculorum omnium reverentia consecratæ maximam obtinuerunt auctoritatem; túm quia mysteria magna significant, quorum veritas, si semel de medio tollerentur, à repugnantibus hæreticis audacia majori impeteretur; tum deniq; quia periculum foret, ne ille tam præclarus sacrorum rituum apparatus penitus evanesceret, & ab hominum memoria deleretur, si in iis, quocunq; prætextu prætermittendis nimium facilem se præberet Ecclesia. Ut autem hujusmodi cæremoniarum ponamus exemplum: Unctio & insufflatio in baptismo certissimè ab Apostolica traditione descendunt; utramq; enim ab initio latini, græci, & orientales summâ consensione observant; apud latinos baptizandorum aures & nares salivâ liniuntur, iisdemq; sal prægustandum more antiquo porrigitur, cujus initium cúm nulla possit certa epochâ definiri, ad tempora Apostolorum meritò refertur; itaq; debet horum ritu-

tuum, tum propter antiquitatis honorem, tum propter reconditam, quam habent, rerum ſacrarum ſignificationem, retentiſſima eſſe Eccleſia. Ita ſæpius a ſummis Pontificibus, nempe Innocentio X. Clemente XI. Benedicto XIII. Clemente XII. & Benedicto XIV. declaratum fuit. Vide Conſtitutionem a jam laudato Benedicto XIV. anno 1744. editam, quæ incipit: *Omnium ſollicitudinum.*

DISSERTATIO II.

De Baptismo.

De hoc tam neceſſario tamq; mirabili Sacramento futura diſputatio finietur, cum reſolutæ fuerint quæſtiones ſequentes, *1mo.* de eſſentia baptiſmi: *2do.* de ejuſdem partibus. *3tio.* de obligatione & neceſſitate. *4to.* de Miniſtro. *5to.* de cæremoniis ſive ritibus.

ARTI-

ARTICULUS I.
Quid & quotuplex ſit Baptiſmus?

Baptiſmus græce, latine *lotio* ſive *unctio*, variis nominibus inſignitur, à SS. Patribus dicitur jam *Sacramentum fidei*, quia ſolemnis eſt proteſtatio fidei in Chriſtum, per quam ſecreti ab infidelibus credentes de ovili veri Paſtoris eſſe noſcuntur. Jam *Sacramentum illuminationis*, fides enim, quam in baptiſmate profitemur, mentes noſtras Divina luce irradiat. Jam *Sacramentum vitæ novæ*, *Nativitas ſecunda*, *Lavacrum regenerationis & renovationis*, *Circumciſio ſpiritualis*, *Sacramentum mortis & ſepulturæ Chriſti*, *unctio*, *Sigillum*, *Donum Dei*, *Expurgatio*, *Plantatio*. His ſimilibus titulis Sacramentum Baptiſmi ſcriptura, & ſcriptores veteres adornarunt, unde ejus natura facilè colligi poteſt.

I. *Catechiſmus Trid: p. 2. de Sacramen: bapt: n. 5. ait:* Baptiſmus *eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Hoc eſt. 1. *Sacramentum*, id eſt, res ſenſibilis, quæ ex inſtitutione Chriſti, ſanctitatis & juſtitiæ tum ſignificandæ tum efficien-

dæ

dæ vim habet. Nam quatenus ex ablutione aquæ & verbis Evangelicis coalescit, ritus est sensibilis; ille tamen ritus, quo momento exterius agitur, Deo sic volente delet peccata, purgat animam, gratiam sanctificantem infundit, imprimit indelebilem characterem, veterem deniq; hominem in novum transformat. 2. Sacramentum *regenerationis*, cujus nimirum virtute spiritualiter in Christo regeneramur, naturâ namq; ex Adamo nascimur filii iræ, per baptismum filii misericordiæ in Christo renascimur. 3. Per *aquam in verbo*, quibus vocibûs partes essentiales baptismi intelliguntur, aqua nimirum naturalis, & expressa SS. Trinitatis invocatio denotantur.

II. Propriè loquendo Baptismus unicus est, non multiplex, secundum illud ad Ephes. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*; tria tamen communi loquendi more numerantur, *fluminis*, *flaminis*, *& sanguinis*; quæ divisio non ita accipi debet, quasi singulis ratio Sacramenti conveniat, sed quia in casu necessitatis passio pro Christo tolerata, aut sincera cordis ad Deum a peccato con-

ver-

versio cum baptismi desiderio, sufficit ad obtinendam salutem.

ARTICULUS II.
De partibus Baptismi.

Duas hujus Sacramenti partes esse essentiales, *aquam* & *verbum*, certum ex adducta definitione relinquitur: primam Scholarum more materiam; formam alteram appellamus; de utraq; sigillatim aperiendum, quid Catholica Ecclesia sentiat. *Quod ad primum quidem spectat*; notandum duplicem vulgo distingvi Sacramentorum materiam, remotam, & proximam. *Remotam* dicimus, elementum ipsum materiale, sive rem, quovis modo, sensibilem, quæ verbo accedente fit Sacramentum: sic e. c. materia remota extremæ unctionis est oleum olivarum, quia est materiale elementum, quod voluit Christus, accedente Sacerdotis mystica prece, esse Sacramentum infirmorum. *Proximam* intelligimus, actualem materiæ applicationem ad subjectum, sive actum ipsum quo Minister materiam admovet subjecto; sic ut in eodem exemplo sistamus, materia pro-

xima

xima extremæ unctionis, non eſt oleum tantum, ſed unctio olei, quæ in infirmi corpore fit.

§. I.

Errores notantur.

Aquam veram & naturalem, remotam eſſe baptiſmi materiam, ita certum eſt ex verbo Dei tum ſcripto, tum tradito, tantaq; de hac re omnium ubiq; gentium ab omni retro ætate conſenſio fuit, mirandi ut locus ſit dubitaſſe aliquos, ac etiam ſenſiſſe contrarium; non defuerunt tamen qui Divinum dogma, malis Diaboli ſvaſionibus, apertè negaverint, turpiterq; corruperint, adeo facilé eſt in errores vaniſſimos, deſerta ſcripturarum & traditionum norma, deflectere; in hoc numero ponimus.

1. *Gnoſticos*, *Archonticos*, *Aſcrodutas*, & alios, qui penitùs Divina Sacramenta negarunt; de quibus S. *Iræneus* lib: 1. contra hær: cap: 18. *S. Epiphanius* hær: 34. *Theodoretus* lib: 1. hæret: fabul: cap: 10. & 11. conſulendi: hi enim eorumq; ſimiles, Ethnici magis aut Judæi, quam Chriſtiani, cùm Sacramenta de medio tollerent, conſequens fuit, ut nullam eorum vellent eſſe materiam. 2.

2. *Cajanos* de Valentinianorum ſtirpe progenitos, & *Quintilianos* a *Quintilla* fæmina dictos, quos refutat *Tertullianus* lib: de Bapt: cap: 1. & 2.

3. *Manichæos*, qui aquam à malo prodiiſſe principio ſomniantes, baptiſmum in ea datum, non modo ut inutilem, ſed etiam ut noxium execrabantur; horum meminit *S. Auguſt*: lib: de hæreſibus hæreſi 46.

4. Quosdam hæreticos qui originem a *Simone Mago* trahebant, quiq; quoniam Joannes dixit, nos eſſe baptizandos, *in Spiritu S. & igne*, præſtigiis utebantur, ut quam mox in aquam deſcendiſſet baptizandus, ſtatim ſuper aquam ignis appareret, ita narrat vetus de baptiſmo *Anonymus* ſcriptor, qui errorem rebaptizantium refutavit, cujus Tractatus inter Cypriani opera, poſt Epiſt: 74. ad *Pompejum* editus habetur.

5. *Seleucianos*, & *Hermianos*, qui eodem Joannis decepti oraculo: *ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam ... ipſe* (Chriſtus) *vos baptizabit Spiritu S.* Marc: 3. v. 13. *& igne*, aquam à baptiſmo ar-

cen-

cendam dicebant: de quibus legatur S. *Auguſt*: lib: de hæreſ. hær: 59. & *Philaſtrius* in Cathalogo hæreſum, quæ ſunt Apoſtolicis temporibus excitatæ.

6. *Marcoſios* ita dictos a *Marco* quodam de Gnoſticorum ſecta, qui referente S. *Epiphanio* hær: 34. aquam baptiſmi cum alio liquore miſcendam putabant.

7. *Paulicianos*, qui ex eo quod Chriſtus ſe eſſe aquam vivam dixerit, perperam inſerebant nullam baptiſmi eſſe materiam, ſed hoc Sacramentum horum prolatione verborum perfici, quæ Chriſti nomine dicerentur: *Ego ſum aqua viva.*

8. Quemdam ſæculi 8. Presbyterum, qui propter aquæ penuriam, baptiſmum in vino fieri poſſe putavit.

9. Quosdam de Norvegia, qui aquâ deficiente infantes cum cereviſia baptizabant. de quibus ſæculo 13. *Gregorius* IX. Pontifex M. a Nidroſienſi in Norvegia Archi-Epiſcopo interrogatus reſpondit, prorſus in aquâ eſſe baptizandum.

10. *Armenos*, qui referente Thoma Waldenſi lib: 2. c. 114. in neceſſitate

variè

variè baptizant, quidam in vino, quidam in lacte; crediderim tamen Waldensis in hac re fidem esse suspectam, cùm de hoc errore accusati ab aliis Armeni non comperiantur.

11. Lutherum, qui in colloquiis Symposianis cap: 17. in eam visus est opinionem propendere, idoneum esse ad baptismi confectionem, id omne, quod loco balnei esse potest, atq; ideo liquorem quemlibet, ne vinô quidem excepto, esse sufficientem materiam.

12. *Theodorum Bezam*, qui Magistro longè audacior, Epist: 2. ad *Thomam filium* sine dubitatione pronuntiavit, quando urget necessitas, nec præsens est aquâ, ministrum indifferenter liquore quolibet uti posse: candidius sane dicturus, sibiq; ipsi convenientius, si baptismum, quem absolutè ad salutem necessarium negabat, in his saltem circumstantiis posse & debere prætermitti affirmasset.

13. *Calvinum*, qui contra scripturarum expressissima testimonia, contra traditionis præscriptum, contra totius Ecclesiæ mentem, & deniq; contra fidelium omni-

omnium communem existimationem verba Christi, *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritû S. &c.* non de aquâ naturali, sed metaphoricé de tribulatione, cordisq; compunctione debere intelligi, proprio judiciô, verius dixerim, sine judiciô, somniavit.

14. Recensitis hæreticis annumerant aliqui *Jacobitas* a *Jacobo Zonzalo* in Oriente propagatos, præcipué vero *Coptitas*, quos in tantum stultitiæ processisse ajunt, ut loco baptismalis aquæ; ferro candente imprimant in frontibus baptizandorum figuram crucis, ita *Bernardus Lutzemburgensis* in Catalogo hæret: lib: 2. verbo *Jacobitas* affirmat; idemq; *Jacobus a Vitriaco* in historia Hierosol: cap: 75. his verbîs enarrat: *plures eorum ante baptismum parvulos suos cum ferro calido adurentes & signantes, in frontibus imprimunt cauterium, alii autem in modum crucis in ambabus genis seu temporibus, infantes suos consignant, perversè putantes, eos per ignem materialem expiari, eo quod in Evangelio B. Matthæi scriptum sit, quod B. Joannes Baptista de Christo dixerit: ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne*: sic inquam

a præ-

a præfatis ſcriptoribus memoriæ proditum, quos deinceps latini plures, imo & græci aliqui (Joannes Eſronita, & Gabriel Sionita) ſunt ſecuti; verum Jacobitas ab hoc errore ſemper fuiſſe alieniſſimos, Euchologia fidem faciunt, in quibus de hujuſmodi aduſtione nec verbum habetur; quin & eorum ſcriptores ſi de baptiſmo ignis aliquando faciunt mentionem, figuratè & ad myſticum ſenſum, non ſecus ac Eccleſia Catholica explicant, *ut Gregorius Abulfaragius in epitome fidei*; itaq; Bernardo Lutzemburgenſi & aliis in hac parte, quomodo in aliis multis non credimus; equidem longa ætas eſt, ex quo in oriente conſvetudo invaluit, infantibus vel in fronte, vel in manu aut brachio, ſignum crucis imprimendi ferro candente; verum præterquam quod Jacobitarum ſingularis non eſt hic uſus, numquam veluti baptiſmi pars impreſſio illa habita eſt, neq; ab orientalibus creditum, hoc ritu peccata infantium expiari; qua de re conſulatur doctiſſimus ſcriptor *Euſebius Renaudotius perpetuitatis fidei Tom: 5. pag: 104. & ſeq;* ubi hujus orientalium

pra-

praxis causam probabilem affert, quæ nullum ad baptisma ordinem habet; jam sit.

§. II.

Ostenditur aquam veram & naturalem esse remotam baptismi materiam.

Dico 1. Aqua vera & naturalis est remota baptismi materia.

Prob: Fidei Catholicæ doctrina hæc est in Concilio Trid: novo canone roborata: *si quis dixerit*, inquit sess: 7. can: 2. de bapt: *aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atq; adeo verba illa Domini nostri JESU Christi: nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. &c. ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Hujus veritatis argumentum petimus ex præclarissimis testimoniis scripturarum. Joan: 3. v. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Actorum 8. v. 36. & seq: *Dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari... & descenderunt uterq; in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum: cùm autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* Et Actorum 10. v. 47. Ad Ephesios 5. v. 25. & seq: Ad Hebreos

bræos 10. v. 22. 1. Petri 3. v. 20 & seq: ſimilia habentur: Ex his & ſimilibus ſcripturarum oraculis ſic inſtituitur argumentum: Hæc eſt eſſentialis baptiſmi materia, quam Chriſtus legem de baptiſmo condens voluit in perpetuum obſervari, quamq; revera uſurparunt Apoſtoli; atqui Chriſtus de baptiſmo legem ferens, voluit aquam in ejus conſecratione perpetuò adhiberi: *Niſi quis renatus fuerit*, inquit, *ex aqua &c.* Poſtea vero ejus mandato Diſcipuli obſequentes non aliter quam in elemento aquæ Sacramentum hoc confecerunt: *Deſcenderunt uterq; in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum . . . nunquid aquam prohibere aliquis poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, ſicut & nos?* Ergo.

Id ipſum Divina traditio ſuggerit: hæc enim pro vera & neceſſaria materia haberi debet, ſine qua fruſtra & inutiliter celebrari baptiſmum ſemper Eccleſia credidit; atqui ſine aquâ vera & naturali, baptiſmum inutilem & irritum eſſe, ab Apoſtolicis uſq; temporibus ſemper credidit, fuitq; in hoc dogmate aſſerendo, ſumma omnium ætatum, omnium

ubiq;

ubiq; nationum consensio: ita a Patribus traditum, a Synodis constitutum; ita præscriptum in omnibus sive latinorum ritualibus; sive græcorum & orientalium Euchologiis: nemini ante *Calvinum*, saltem qui Christianus audierit, in mentem venit, verba Christi: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* debere sensu metaphorico accipi; ergo.

Objic. 1. Baptismum inter Christi & baptismum Joannis, etiam quantum ad ritum sensibilem debet essentiale discrimen esse; atqui nullum foret, si aqua naturalis esset baptismi Christi materia; ergo.

Resp. 1. *nego maj. de materia intellectam*; ut enim distingvantur essentialiter, non requiritur, quod materiâ differant, sed satis est, ut quantum ad efficaciam, unum sit altero longè præstantius; atqui habita virtutis & efficaciæ ratione, tantum differt baptisma Joannis à baptismo Christi, quantum distat servus a Domino. *Ego quidem*; inquiebat de seipso Joannes Matth: 3. v. 11. *baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus*

calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igne; ergo.

Reſp: 2. Trans. major nego min: Licet enim utriq; baptiſmo aquam pro materia habere commune ſit, eſſentialis tamen unius ab altero differentia etiam quantum ad ritum ſenſibilem. in eo apparet, quod baptiſmus Chriſti non in aquâ ſola fiat, ſed inſuper expreſſam requirat Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem, quam non habet baptiſma Joannis.

Inſtab: Baptiſmus in igne & Spiritu conſecrandus ſic differt a baptiſmo Joannis, ut aquam penitus excludat; atqui talem eſſe baptiſmum Chriſti Joannes ipſe in Evangelio teſtatur: *ego,* inquit, *baptizo vos in aqua . . . ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igne;* ergo ita differt baptiſmus Chriſti a baptiſmo Joannis, ut aquam omnino excludere debeat.

Reſp: con: maj: nego min. nego, inquam, hæc verba de materia baptiſmi debere intelligi: *quod a Joanne Baptiſta dictum eſt,* inquit Catechiſmus Concilii Trid: p. 2. it: de bapt: num: 7. *venturum eſſe Dominum, qui baptizaret in Spiritu S. & igne, quidem nullo modo de baptiſmi materia intelli-*

intelligendum eſt: ſed vel ad intimum Spiritûs ſancti effectum, vel certè ad miraculum referri debet, quod die Pentecoſtes apparuit, cum Spiritus S. è cœlo, in Apoſtolos ignis ſpecie delapſus eſt, de quo Dominus noſter prædixit. Act: 1. v. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimi Spiritu S. non poſt multos hos dies*: ita Catechiſmus conſentaneè ad mentem Patrum græcorum & latinorum, quibus familiare eſt, Sacramentum confirmationis, cujus effectum die Pentecoſtes Apoſtoli acceperunt, baptiſmum ignis & Spiritûs appellare: manifeſtum itaq; eſt, debere in textu, qui opponitur, ignem metaphorice intelligi.

Inſtab: non eſt potior ratio, cur ignis metaphorice accipiatur, quàm aqua, cùm igitur, inquit Calvinus, in teſtimonio, Matthæi, *ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, metaphoricè & per translationem ignis dictus intelligatur; idem pariter eſt dicendum de teſtimonio Joannis: *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

Reſp: *nego ant.* aquam enim debere proprio naturaliq; ſenſu intelligi, ſæpius Divina ſcriptura teſtatur, ubi legitur Chri-

ſti Diſcipulos revera in elemento aquæ tinxiſſe; id quod Calvinus ipſe facile deprehendere poterat, ſi ſcripturam, ad quam continuo provocabat, pacata mente legiſſet; nam quid aliud, niſi baptiſmum aquæ iſta verba ſignificant Joan: 3. v. 22. & ſeq: *Poſt hæc venit JESUS & diſcipuli ejus in terram Judææ, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat; erat autem & Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quia multæ aquæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.*

Objic: 2. Joannes *Moſchus* circa initium 7. ſæculi in Prato ſpirituali c. 176. narrat quemdam Judæum, morbô periculoſo correptum in deſerto baptizatum fuiſſe ab itineris comitibus arenâ ter ſuper ipſum projecta, & ſubitò virtute hujus baptiſmi convaluiſſe, quod indicat ejus validitatem. Idem aut ſimile factum narrat *Nicephorus l.* 3. *c.* 37. ergo.

Reſp: nego. conſeq: Ex utraq; enim narratione oppoſitum concluditur. Refert Moſchus Judæum ob ferventiſſimum baptiſmi deſiderium ſanitati fuiſſe redditum, ſed cùm perveniſſent Aſcalonem, *viſum eſt beato Dionyſio mittere fratrem illum*

ad

ad S. Jordanem, ibiq; baptizari. Nicephorus pariter: *Postquam,* inquit, *domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt: ille verò admiratione stupens, Ecclesiam consuluit, cui visum est aquâ insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse.*

Objic: 3. In baptismo significatur ablutio; atqui multa alia sunt ablutiva quàm aqua, ut vinum, oleum, & hujusmodi alia; ergo non sola aqua est materia baptismi.

Resp: nego conseq: 1. Vinum & oleum non communiter assumuntur, ad usum ablutionis, sicut aqua. 2. non ita perfectè abluunt, quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, saltem quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. 3. Illa etiam non ita communiter & abundanter habentur, sicut aqua. 4. Finaliter & præsertim, aquam elegit Christus, & non alios liquores.

Consectarium.

Ablutionem esse materiam proximam hujus Sacramenti; nihil enim interest ad baptismi substantialem integritatem sive immersione, sive infusione, aut asper-

aſperſione conferatur. Primum argumentum ab ipſa lotionis natura petitur; illud enim, quo remota baptiſmi materia ſubjecto æqualiter applicatur, perinde ſe habet ad integritatem ſubſtantialem baptiſmi; atqui ſive immergendo, ſive infundendo, ſive aſpergendo ablutio fiat, materia nihilominus ad ſubjectum pervenit; harumq; ablutionum quælibet actionem baptizantis & paſſionem ſignificat baptizati; ergo quælibet indifferenter baptiſmi materia eſt. Hoc ipſum antiqua diſciplina invictè demonſtrat: ſi enim crediſſet Eccleſia ſolâ immerſione e. c. baptiſma conferri, ritum hunc inviolabiliter obſervaſſet, nec unquam probaſſet, aliâ ratione collatum; atqui longè aliud majorum judicium fuit; conſtat enim ex hiſt; Eccleſ; & certiſſimis Patrum documentis magnam, quantùm ad modum abluendi fuiſſe mutatis locorum & temporum circumſtantiis, diſciplinæ diverſitatem; nam 1. In Græca & orientali Eccleſia á primis uſq; temporibus immergendi uſum prævaluiſſe fidem faciunt, canon quinquageſimus, eorum, qui vulgo Apoſtolici dicuntur.

S. Cy-

S. Cyrillus Hierosol: catechesi secunda mystagogica recens baptizatos sic alloquens: *confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aquam, rursus emersistis; atq; ita per hæc symbola, triduanam Christi significastis sepulturam: S. Joannes Chrysost:* homilia sexta in Epist: ad Colos: ii penè omnes, qui de Sacramentis in oriente scripserunt; & deniq; antiquissima Græcorum Euchologia. 2. Eundem morem in Ecclesia latina longô fluxu temporum viguisse, testes locupletissimi sunt, *Tertullianus* lib: de cor: militis cap: 3. ita loquens: *aquam adituri - - - aliquando prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, & pompis, & Angelis ejus, dehinc ter mergitamur:* idemq; lib: de Bapt: affirmat. *S. Cyprianus* Epist: 76. ad Magnum. *S. Ambrosius* sivé quisquis Auctor est operis *de Sacramentis* sub Ambrosii nomine: S. *Gregorius Mag*: lib: 2. cap: 6. in Sacramentario: *Alacuinus, Amalarius, Strabo, Magister Sententiarum,* & alii pleriq; omnes, qui ante sæculum XIII. de Sacramentis scripserunt: quin & S. *Thomas* 3. p. q. 66. art: 7. in corp: hoc ipso sæculô scribens:

bens: *tutius esse baptizare, per modum immersionis, quia,* inquit, *hoc habet communior usus.*

§ III.

De forma Sacramenti baptismi.

Petes 1. Utrum forma baptismi in expressa trium Sanctissimæ Trinitatis personarum invocatione consistat?

Resp: formam baptismi necessariò in expressa trium Sanctissimæ Trinitatis personarum invocatione consistere. Fidei sententia est, a Trid: Concil: confirmata, quando definit, eatenus valere collatum ab hæreticis baptismum, quatenus sub expressa trium personarum invocatione datum fuisse constaret; *si quis dixerit,* inquit sess: 7. can: 4. de bapt: *baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in Nomine Patris & Filii & Spiritus S. - - - non esse verum baptismum, anathema sit:* Hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam in sacris literis contineri ultro fatebitur, quisquis uti suis voluerit oculis ad legendum, ait enim Christus Matth: 28 *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* ad

quam

quam ſententiam alludens B. Paulus, *dilexit*, inquit Ephes: 5. *Eccleſiam, & ſe-ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacrô aquæ in verbo vitæ*; unde ſic argumentum inferimus, baptiſma nullum eſſe convincitur, quod non conſtiterit verbîs Divina authoritate præſcriptîs, quia non aliundè, quàm ab authore Deo ſuam habent Sacramenta virtutem; undè ſequitur, quod vana & irrita ſint, quæ ab ejus mandato deflectunt; atqui voluit Chriſtus baptiſma cum expreſſa trium perſonarum invocatione conferri; ergò. Hoc ipſum probat perpetua Eccleſiæ univerſalis conſenſio, & decreta SS. Patrum.

Petes 2. Utrum hæc forma eadem ſemper & ubiq; viguerit?

Reſp: negative. Quamquam enim ſenſus idem ſemper fuerit, non iiſdem tamen ſemper & ubiq; verbis expreſſus. Nam in veteri Gallicano ordine ſic baptizandum præſcribebatur: *baptizo te credentem, in Nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum*, itemq; in veteri Gothico Gallicano: *baptizo te N. in nomine Patris &*

Filii

Filii & Spiritus S. & in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam; quorum similia poterant in aliis diversarum Ecclesiarum officiis, si diligenter inquisita fuerint, observari.

Petes 3. Utrum in his, quæ ad formæ substantiam pertinent, Græci conveniant cum Latinis?

Resp: affirmativè. Nam 1. distinctam trium personarum invocationem habent: *in Nomine Patris &c.* 2. actionem baptizantis. 3. subjectum ipsum, cui beneficium spiritualis lavacri confertur, exprimunt dicendo: *baptizatur servus Dei N. &c.* atqui in his tribus formæ baptismalis substantia, virtusq; consistit, ergo Græcos cum Latinis convenire, res est extra omnem controversiam posita.

Petes 4. Utrum aliquando fuerit in solius Christi nomine baptizatum?

Resp: Prorsus improbabiliter dicuntur Apostoli in solius Christi nomine baptizasse. Ad cujus sententiæ persvasionem etiamsi alia argumenta deessent, vel una sufficeret sæpius allegata auctoritas Scripturarum: *undecim Apostoli,* inquit S. Matth: cap: 28. *abierunt in Galilæam*

læam in montem, ubi conſtituerat illis JESUS ...& accedens JESUS locutus eſt eis dicens: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. ubi notandum hæc verba: *euntes ergo docete baptizantes*; licet ad omnium temporum Eccleſiam pertineant, quæ ubiq; terrarum per Paſtores ſuos, filios Deo quotidie parturit, & in finem uſq; ſæculorum eſt paritura; proximè tamen ad Apoſtolos dirigi, quibus Chriſtus datam ſibi cælitus poteſtatem immediatè communicat, dicens: *data eſt mihi omnis poteſtas: euntes ergo &c:* Jam ſic argumentor: Apoſtoli cum diſtincta trium perſonarum invocatione baptizare juſſi ſunt, quod ab hac lege fuerint Divina diſpenſatione immunes, nullibi legitur in ſcripturis; ergò improbabiliter dicitur, eos in ſolius Chriſti nomine baptizaſſe; quis enim ſerio putet, hoc ipſo, quòd tàm expreſſè imperatum ſibi fuerat, Apoſtolos prætermiſiſſe, & reliquiſſe poſteris ad implendum, niſi quo inſtrumento lex inſtituta probatur, eodem pariter ejus immunitas conceſſa Apoſtolis adſtruatur.

ARTI-

ARTICULUS III.

De obligatione & necessitate baptismi.

Contra illos hic agendum est, qui dicunt pueros nondum rationis usum habentes, suscipiendo baptismati minus idoneos esse, donec eam attigerint ætatem, qua fidei nostræ mysteriis imbuti regenerationis Sacramentum per se ipsi postulent. Errorem hunc jam a V. Christiani nominis sæculo enatum esse indicat Can: 2. Concilii Milev: apud Tournely de Bapt: ibi ita sancitum legimus: *placuit, ut quicunq; parvulos recentes ab uteris Matrum, baptizandos negat, anathema est.* Sæculo XII. Valdensibus quoq; inane visum est baptisma parvulis collatum. Illud quoq; irritum censuit *Henricus* Petri Bruis in hæresi propaganda successor, ut legimus apud S. *Bernardum* Epist: 240. Suppressus error latuit, donec ex infaustis cineribus denuò suscitatus est circa annum 1527. quo *Balthasar* Pacimontanus, eum apertè spargere incepit, suffragantibus Ministris Transylvanis, qui nunc Sociniani dicuntur, hi enim pestiferô vulgatô libellô, momenta triginta sex

pro-

procuderunt, ut parvulos nondum rationis usum expertos, sacrô lavacrô initiari non posse demonstrarent. Quin etiam inter eos recentiores Anabaptistas non pauci numerabantur, qui baptismum annô duntaxat trigesimo, ad Christi imitationem suscipi debere dictitarent, quos inter *Michaël* Servetus primum locum obtinebat. Demum Calvinistæ post Pelagianos necessitatem baptismi abnuentes, illi negando originale, hi contendendo cunctos fidelium filios esse prædestinatos, ideoq; independenter à baptismo salvandos, parvulos non omnino baptizandos esse effutiunt. Errorem hunc sin minus aperto marte saltem oblique refovit, ut jam supra innui, Desiderius *Erasmus in Præf. Paraphrasis in Math:* ubi homines in infantia baptizatos, dum adoleverint, interrogandos esse docet, an ratum habeant, quod ipsorum nomine in baptismo promissum est, & si negent, uti non baptizatos esse dimittendos. In idem tendit *Ludovicus Vives* Annot: in in cap: 26. lib: 1. de Civit: Dei, ubi audacter pronuntiat, neminem olim præterquam in adulta ætate, baptizari con-

sve-

ſveviſſe, qua & baptiſmum noſceret, & per ſe efflagitaret. Contra quos.

§. I.

Veritas Catholica defenditur.

Dico Fides Catholica docet: valere parvulis collatum baptiſma.

Prob: 1. Chriſti Domini Joan: 3. ſententia eſt: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum DEI*: cujus rationem ſubjungit, *quia quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt;* quaſi dicat, nemo eorum, qui carnales, ex carnali origine nati ſunt, regnum cœlorum obtinere poteſt, niſi ſpiritualis evadat ex ſpirituali regeneratione, quæ baptiſmatis beneficiô obtinetur. Aut ergo dicendum, pueros regni Cœlorum obtinendi incapaces omnino eſſe, aut eſſe baptiſmati ſuſcipiendo idoneos. Porro poſſe parvulos regnum cœlorum adipiſci, etiam quo tempore nondum ratione utuntur, Chriſtus ipſe ſignificavit *Matth*: 19. dum inquit: *Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire, talium eſt enim regnum cœlorum,* Quomodo enim regnum cœlorum adipiſci non poſſent ii, quorum regnum cœlorum eſſe dicitur? Iis robur

addit

addit, quod identidem in Actibus Apostolorum observamus, integras scilicet familias sacro baptismate tinctas esse. Sic cap: 16. dicitur Lydia baptizata, *& domus ejus tota.* Sic de custode carceris ibidem legitur, *baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuò.* Similiter Paulus I. ad Corinth: 1. *baptizavi,* inquit, *Stephanæ domum*; at in integris domibus rarum profecto est, ut non sint infantes aliqui, qui idcirco unà cum cæteris lustrabantur. Sacris Scripturarum Oraculis adstipulatur majorum traditio, jam à primis Ecclesiæ sæculis, cujus testes omni exceptione majores proferuntur. *S. Irenæus lib: 2. adversus hær: cap: 39. S. Justinus in cohortatione ad Græcos. S. Basilius in oratione adhortatoria ad baptismum. S. Chrysostomus homilia ad Neophitos. S. Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos*, qua quidem traditione memoriæ proditum est, primis Ecclesiæ sæculis pueros baptizari solitos fuisse. Omnibus verò explicatius rem ipsam definiunt duo Ecclesiæ Græcæ & Latinæ lumina: *Origenes* nimirum, cujus hæc verba *lib: 5. in cap: 6. ad Rom: Ecclesia ab Apostolis traditio-*

ditionem accepit, etiam parvulis dare baptiſmum. Et *Auguſtinus lib: 10. de Geneſi ad lit. cap: 23. Conſvetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua reputanda, nec omnino credenda eſſet, niſi ex Apoſtolica traditione manaſſet.* Idem S. *Cyprianus Epiſt: ad Fidum.*

Secundum hanc traditionem pronuntiarunt Summi Pontifices, nec differendum in adultam ætatem puerorum baptiſma latis Decretis ſtatuerunt: Innocentius I. *Epiſt: 26. ad Concilium Milevit.* Leo I. *Epiſt: ad Epiſcopum Aquilejenſem.* Gregorius I. *lib: 3. Epiſt: 9.* quæ eſt ad Joannem Calaritanum, Innocentius III. *Epiſt: ad Epiſcopum Arelat:* quæ habetur *capite majores de baptiſmo.* Ex quibus colligere eſt, quam falſo ac temere pronuntiaverit Ludovicus Vives, à me paulo antea appellatus, neminem olim præterquam in adulta ætate baptizari conſveviſſe, dum & baptiſmum noſſe poſſet; ac per ſemetipſum poſtulare.

Objic: 1. Anabaptiſtæ. Per baptiſmum contrahitur a baptizato obligatio profitendæ Chriſtianæ Religionis; atqui tam duram obli-

obligationem contrahere abſq; injuria nemo poteſt ignorans, multo minus rationis uſum nondum habens; ergo.

Reſp: Nulla cuiquam irrogatur injuria, dum ea illi imponitur obligatio, ad quam aliunde Divino jure tenetur, at omnis homo Divino jure tenetur ad obſervantiam Chriſtianæ religionis, imo & ad baptiſmum ſuſcipiendum obligatur, ſi ſalvus fieri velit: *niſi*, enim, *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*. Nulla itaq; injuria infertur parvulis, dum ante rationis uſum baptizantur. Aliunde jugum Chriſti grave non eſt, ſed leve.

Dices: Infantes non admittuntur ad Euchariſtiam; ergo nec ad baptiſmum admitti debent.

Reſp: 1. Prioribus Eccleſiæ temporibûs infantibus datam fuiſſe Euchariſtiam; ſed cùm pertineat hoc ad diſciplinam, Eccleſia ob graves rationes eos modo non admittit. *Reſp*: 2. Hoc enim eſt diſcrimen, quod baptiſmus ſit abſolutæ neceſſitatis, non verò Euchariſtia. Hinc Trid: ſeſs: 21. cap: 1. *Infantes*, ait, *per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto*

incorporati, adeptam jam filiorum DEI gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Euchariſtia autem eſt ſpiritualis cibus ad reparandas vires, quæ per quotidiana peccata deperduntur.

Inſtabis. Chriſtus non fuit baptizatus, niſi anno ætatis 30. ergo nec homines niſi ad adultam ætatem venerint, ſunt baptizandi.

Reſp: Diſcrimen eſt, quod Chriſtus non indigeret baptiſmô, homines autem indigent; cum *DEUM dixiſti,* inquit S. Greg: Nazian: Orat: 40, *quæſtio a te ſoluta eſt, nam ille purgatio ipſamet erat, nec purgatione indigebat, verûm tua cauſâ purgabatur.* Præterea non omnia, quæ Chriſtus præſtitit, á nobis eodem modo ad praxim reducenda ſunt, ut patet de Euchariſtia poſt cænam ſumpta & diſtributa Apoſtolis.

Urgebis. Jure divino doctrina baptiſmo præſupponitur, ut Math: 28. patet: *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Aliunde baptiſmus ſine fide non prodeſt, nam *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* atqui infantes & doctrinæ & fidei ſunt incapaces, ergo.

Reſp:

Resp: 1. Hæc dicta Christi solos afficere adultos, ad eos enim ab infidelitate ad fidem convertendos Christus in universum mundum tunc Apostolos mittebat. 2. Iisdem verbis non præcipitur, ut unum omittatur, cum aliud fieri non potest; siquidem gentilis fidem edoceri debet, licet aquæ defectu jamjam moriturus baptizari non possit. 3. Suo modo infantes credunt, per Ecclesiam scilicet, & per suos susceptores. Nec mirum quod aliena fides eis sufficiat; *decet enim*, ait S. Aug: Serm: 14 de verbis Apost: cap: 7. *ut ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

Objic: 2. Tertul: lib: de S. baptismate cap: 18. docet, baptismum cito citius pueris non esse ministrandum: *Pro cujuscunq;* ait, *personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est, præcipuè tamen circa parvulos*; ergò.

Resp: 1. Hoc non juvat causam Anabaptistarum, non enim negat baptismum parvulis collatum validum esse, sed solum differendum svadet. 2. Tertulliani authoritas prævalere non debet traditionis & aliorum Patrum authoritati.

Tertulliani namq; ſententia de parvulis non baptizandis in Concilio Affricano, ad examen vocata, proſcripta eſt, teſte S. *Cypriano*, ipſius Concilii Præſide E-piſt: ad Fidum.

Petes 1. Utrum infans in utero materno baptizari poſſit?

Reſp: negative. Quia baptiſmus regenerationis eſt Sacramentum; regenerari autem non poteſt, qui nondum eſt natus, ſecundum communem & ordinariam legem.

Petes 2. Utrum infidelium infantes invitis, aut ſaltem inſciis parentibus baptizari poſſint?

Reſp: 1. Licere ſi mortis periculum illis parvulis immineat; quia tunc eſt cauſa judicandi, Sacramentum ab illis infantibus pollutum non iri poſtea. 2. Sin-ſecus non licet. Nec mirum, quia ſic adeſt moralis certitudo, quod per totam vitam in infidelitate permanſuri ſunt, ac proinde ſummam recepto in infantia baptiſmo injuriam illaturi.

Conſectarium.

Chriſtus Dominus præceptum poſuit & non præteribit Joan: 3. *niſi quis renatus*

tus fuerit &c. porro illud præceptum generale eſt, & omnes omnino ligat. Vadat ergo *Pelagius* autumans pueros ſine peccato naſci, contra illud Pſal: 50. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea,* & illud Rom; 5. *in quo,* Adamo, *omnes peccaverunt.* Incaſſum ergo dicit baptiſmum eſſe tantummodo neceſſarium ad introitum in regnum cælorum. Et verò ſi infans abſq; peccato naſceretur, etiam abſq; baptiſmo penetraret cælos, hinc S. Auguſt: lib: de gratia & natura cap: 8. loquitur: *abſolvat eum Pelagius, & aperiat ei contra ſententiam Domini regnum cælorum, ſed non eum abſolvit Apoſtolus, qui ait: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Falſa profert *Wikleffus*, dum ait: puerum baptiſmô non indigere eô ipſô, quô eſt prædeſtinatus; cùm talis nemo ſit, niſi per Chriſtum, neq; Chriſto incorporetur, niſi per baptiſmum. *Calvinus* quoq; contradictoria loquitur, cùm propugnat Filios Chriſtianorum eſſe ex natura ſanctos, idq; vi fæderis, in quo includuntur, nam Apoſt: ad Ephes: 2. pronuntiat:

Era-

Eramus & nos na ura filii iræ, ſicut & cæteri. Os Anabaptiſtis occluditur, Chriſtus enim Dominus reddens rationem ſui dicti ſubdit: quia *quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt:* quaſi dicat: nemo eorum qui carnales, ex carnali origine nati ſunt, regnum cælorum obtinere poteſt, niſi ſpiritualis evadat, ex ſpirituali regeneratione, quæ baptiſmatis beneficiô obtinetur. Fit conſequens in re, vel in voto eſſe baptiſmum neceſſarium neceſſitate medii omnibus & ſingulis ad ſalutem, hoc eſt, non modo neceſſarius eſt, quia præcipitur, ſed ideo præcipitur, quia unicum poſt Evangelicam legem publicatam neceſſarium remedium eſt delendi peccati originalis. Lex enim eſt pro omnibus, nec datur ſalus abſq; incorporatione cum Chriſto, quæ quidem per realem baptiſmi ſuſceptionem, aut ſaltem per votum explicitum baptiſmi, habetur.

§ II.

De adultorum baptiſmo.

Cúm infantibus, ut jam dictum, legitime bap iſma conferatur, qui aliorum pedibûs ….gent, ut currant; aliorum

cor-

corde, ut credant; aliorum lingvâ, ut fidem profiteantur, quantò magis adultis concedi debet, qui & corde credere ad justitiam, & ore proprio valent profiteri fidem ad salutem? De his quæri potest, quæ disciplina in primitiva Ecclesia servata est, in adultis ad baptismum admittendis.

Disciplina circa Catechumenos sanos.

I. Catechumeni erant homines adulti, qui ante baptismum fidem Christianam ab Ecclesiæ Pastoribus edocebantur; neq; enim omnibus promiscuè adultis, sed tantum probatis in schola, quam dicebant *Catechumenatum*, majores nostri baptismum conferebant. In fidelium á Catechumenis distinctione, quæ ab Hæreticis non servabatur, Ecclesiasticæ disciplinæ partem positam esse censebant, non postremam.

II. Tres erant antiquitus Catechumenorum stationes, classes, sive gradus. *Primus Audientium*, eorum erat, qui religionis Christianæ desideriô tenebantur, qua de causa publicis conventibus aderant,

rant, lectionesq; Scripturarum, quæ a Lectoribus fiebant, & conciones, quas ante sacrificium habebat Episcopus, audiebant; sed imminente sacrificii tempore cum Ethnicis & pænitentibus, qui *audientes* dicebantur, dimittebantur. Hi singulari ritu inaugurabantur; nam 1. in faciem eorum insufflabatur. 2. frons muniebatur signô crucis. 3. manus eis cum oratione imponebantur. 4. Sal degustandum præbebatur 5. fides Catholica illis exponebatur. *Ex Sacramentario S. Gregorii M.*

Alter Catechumenorum gradus erat *genuflectentium*, super quibus in templo genuflexis orationes proferebantur, & variis exorcismis ad baptismum disponebantur. Hi proprie Catechumenorum nomine antiquitus veniebant. Hoc speciale habuerunt, quod serius de Ecclesia instante sacrificio emitterentur. Nam *audientes* aderant solum lectioni Scripturarum & concioni; at *genuflectentes* in templo manebant, donec a Diacono alta voce diceretur; *discedite, quicunq; estis catechumeni.* Hi sicut & primi gradus Catechumeni nulli speciali pænitentiæ addice-

dicebantur. *Tertius* gradus erat *competentium* ſeu *electorum*, qui a reliquis Catechumenis poſt diligens examen ſegregati, baptiſmati in proxima Paſchatis aut Pentecoſtes ſolemnitate ſuſcipiendo idonei judicabantur. Sed antequam baptiſmate initiarentur, magnis pænitentiæ laboribus fungebantur, & præter cætera tenebantur vini & carnium, ac matrimonii uſu abſtinere. *Ex can*: *85*. *Concilii Carthag*: *IV*. Interim de altioribus fidei dogmatibus, Trinitate, Incarnatione, Euchariſtia, & aliis myſteriis inſtruebantur.

III. Quod tempus attinet, quo in præfatis ſtationibus morari ſolebant Catechumeni, non una fuit omnium Provinciarum diſciplina, & Concilium Nicænum I. reliquit hoc prudentiæ Epiſcoporum. Communiter tamen 40. dierum ſpatio Competentes exercebantur, ut non obſcure innuit S. *Auguſt*: Serm: 13. ad Neophitos.

IV. Quod ſi Catechumenus ſtationes decurrendo peccati gravis reus fieret, antiquis canonibus cautum erat, ut ſtatione dejiceretur, ita ut ſi *competens* eſſet

in

in genuflectentium; si *genuflectens*, in audientium ordinem detruderetur; si *audiens*, penitus ejiceretur; donec manifesta pænitentiæ signa dedisset.

V. Laudata circa baptizandos disciplina circa sæculum VI. mutationem subiit. Tunc temporis ad pauciores dies *competentium* statio contracta fuit; à tertiæ enim hebdomadæ quadragesimalis feria quarta ducebat initium, eaq; fuit causa, cur illam feriam majores nostri, tempus primi scrutinii vocaverint. Septies autem collecta fuisse suffragia, proindeq; septem extitisse scrutinia Patrum traditione docemur. Quæ tertia & septima vice celebrabantur, præcipuum tenebant locum. Illud vero tertium hebdomadæ quartæ feria quarta habebatur, istud verò nempe septimum Sabatho S. celebrari consveverat. Istud maximum & solemne, illud autem minus solemne, ideo dicebatur, quod in tertio, non autem in septimo præter ritus, qui in aliis scrutiniis adhibebantur (exorcismos, preces) magno cum apparatu symbolum, & oratio Dominica baptizandis traderentur.

Disci-

Diſciplina circa Catechumenos infirmos.

I. Catechumenos infirmos baptiſmô ſine mora donari conſveviſſe, quamvis præfinitum tempus nón expleviſſent, ne ſcilicet ſine remedio ſalutari ex hac vita diſcederent, certum eſt; *ſi qui fuerint periculó præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit*, ait S. Cyprianus Epiſt: 13. Imo ſi præ morbi gravitate obmuteſcerent, & baptiſmum petere non poſſent, *proſit eis, quorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit*. S. Auguſt: lib: de adult: conjugiis cap: 26.

II. Si aliquis ad extremum uſq; flagitioſam vitam duxerit, nec ullum pænitentiæ ſignum dederit; S. Auguſt: ibidem ſenſus eſt, nec huic quidem negandum eſſe baptiſmum, quia ait, *incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle*. At hæc S. Doctoris ſententia communis non erat. Plures namq; S. Doctoris ætate tenebant, non debere baptizari, qui cum flagitioſam vitam duxiſſent, nullum pænitentiæ ſignum,

aut

aut ſuſcipiendi baptiſmi deſiderium in ultimo agone ederent, ut ipſe teſtatur ibidem.

III. Energumenis baptiſmate pariter conſultum voluerunt. Hi ſi ſani eſſent, non baptizabantur, niſi cum haberent aliqua lucida intervalla; at infirmi jubebantur baptizari, etiamſi rationis uſu non fruerentur, ut decernit *Concil: Eliberit: can:* 37.

ARTICULUS IV.

De miniſtro baptiſmi.

Illa eſt, quæ de Miniſtro Baptiſmi diſputantem plurimum movet Tertulliani ſententia: *Veritati nihil præſcribere poteſt, non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum, non intervalla locorum.* Si quis enim error aut vetuſtate temporum ſtabiliri, aut magnorum defenſorum patrociniô confirmari, aut locorum diffuſione communiri poſſet; is ille profecto foret, qui de fide in baptiſmi Miniſtro neceſſaria III. Chriſtiani nominis ſæculô ſuſcitatus eſt, à Sanctis Præſulibus, variiſq; Synodis confirmatus, ac per Affricam maximamq; Aſiæ partem diffuſus. Rei

hujus

hujus ſeriem texere placet, ut quæ nobis hujus erroris occaſione difficultates eliquandæ veniunt, oculis ſubjiciamus. Ergo.

§. I.

Synopſis hiſtorica Rebaptizantium.

Fidem in baptiſmi Miniſtro omnino eſſe neceſſariam, atq; ita baptiſmum ab hæreticis collatum irritum eſſe, hominesq; ab iis baptizatos, denuò baptizari oportere, defendit primus omnium *Agrippinus* Epiſcopus Carthag: S. *Cypriani* in Sede Anteceſſor, ſtatuitq; ea de re initô conciliô, quod ad annum Chriſti 215. referri ſolet. Jactîs in Affrica fundamentîs, in Orientem cito propagatus eſt error, ibiq, magni nominis viros, ac ſanctitate inſignes propugnatores habuit, quos inter *Firmilianum* præcipuè, Cæſareæ in Capadocia Epiſcopum, & *Dionyſium* Alexandrinum; Synodiſq; plurimis ſtabilitus eſt, maximê verò Iconienſi & Synadenſi annô circiter 256. At nuſpiam error ille majores, quam in Affrica vires obtinuit. *Januarius* aliiq; Numidiæ Epiſcopi, de iterando hæreticorum baptiſmate, ad S. *Cyprianum* alioſq; Epiſco-

ſcopos Carthagine congregatos literas dedit, quare prima ea de re ſynodica conſultatio Carthagine habita eſt anno 256. Decretum eſt hæreticorum baptiſma, non niſi inane Sacramenti ſimulacrum eſſe, atq; idcirco ab hæreticis tinctos iterum rebaptizandos eſſe, ſeu potius ſimpliciter baptizandos. Rebaptizationis quippe nomen Patribus Affricanis ſemper inviſum fuit; *dicimus eos, qui ab hæreſi veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari*, ait S. Cyprianus Epiſt: 71. Extat hujus Synodi decretum, in Epiſt: 70. S. *Cypriani.*

Synodum alteram 70. Epiſcoporum eodem anno Carthagine celebravit S. *Cyprianus* hoc fine, ut quæ de hac cauſa in priori ſancita fuerant. plenius confirmarentur. Ex hac Synodo S. Cyprianus cum Epiſcopis Synodicam ad S. *Stephanum* Rom: Pontif. Epiſtolam miſit, qua ipſum de actis certiorem fecit, ut illa approbaret, rogavit. Mox aliam Synodum aliis frequentiorem celebravit, in qua 87. Epiſcopi Affricani ſententiam de hæreticorum iterando baptiſmate dixerunt, veriſimilibus eam rationibus confirmantes.

Ste-

Stephanum Rom. Pontif. vehementer improbaſſe S. Cypriani & Præſulum Affricanorum ſententiam, certiſſimum eſt, ipſius etiam Cypriani teſtimoniô, quamvis reſcriptum ejus, quô acta reſcidit, perierit. Conſtat etiam Firmiliani, aliorumq; Orientalium Legatos, qui ſynodorum Acta Romam detulerunt, duriùs illic exceptos eſſe, iisdem negatum hoſpitium, & oſculum pacis. Id nempe Firmilianus ipſe profeſſus eſt, epiſtola inter Cyprianicas 75. Dubium tamen eſt, num Orientales, ipſumq; S. Cyprianum, cum Co-Epiſcopis excommunicavit S. Pontifex.

Acceptis Stephani Epiſtolîs, quibûs Synodorum Carthaginenſium Acta in irritum mittebat, & hæreticorum baptiſma ritu Eccleſiaſtico miniſtratum validum aſſerebat, priſtinam ſententiam non depoſuit S. Cyprianus, nec ceſſit authoritati Pontificiæ, quam ratione deſtitutam exiſtimabat. Qua de re ad Pompejum direxit Epiſtolam paulo duriorem, qua Rom: Pontificem duriùs exagitat, uti in errorem prolapſum, & hæreticorum cauſæ patrocinantem; quin etiam

ejus

ejus decretum perperam accipiens, & in abſonum ſenſum detorquens, eidem vitio vertit, quod omnium hæreticorum baptiſma ratum ac validum ſtatuiſſet, quamvis verbis Evangelicis collatum non eſſet. Cæterum num tandem ſub vitæ finem ipſe caſtigarit errorem publico aliquo documentô, incertum eſt. Id pie opinatus eſt S. *Auguſtinus* Epiſt: 48. non tamen conſtanter aſſeruit. Epiſcopos alios S. Martyris collegas, palinodiam tandem aliquando decantaſſe monet S. *Hieron*: in Dialogo contra Luciferianos cap: 8. *ad antiquam conſvetudinem revoluti novum emiſère decretum*. At quid ipſe Cyprianus egerit, ne verbo innuit.

De facto etſi in hac cauſa graviter Cyprianus errârit, ejus nihilominus culpam multiplici ratione minuit S *Auguſt*: *1*. Quia ita affectus erat animo, ut oppoſitæ conſvetudini cederet, ſecundum quam ratus in Rom: Eccleſia habebatur baptiſmus hæreticorum, modo id negotium Concilii Oecumenici authoritate definitum eſſet, & graviore rationum pondere vindicatum. *2*. Quia abſq; diſpendio unitatis & pacis Eccleſiaſticæ

ſuam

ſuam ſententiam propugnabat. 3. Quia, quæſtionem hanc diſciplinæ duntaxat eſſe opinabatur, non autem ad fidei capita pertinere. 4. Quia nævus ille falce martyrii penitùs amputatus eſt.

Poſt Cyprianum ad Superos vocatum, imo poſt errorem in Conciliis Oecumenicis proſcriptum, eundem illum inſtaurârunt, auxeruntq; Donatiſtæ. Nam Cyprianus, & cum illo ſentientes, eos ut hæreticos non habebant, qui hæreticorum baptiſma validum aſſerebant; id fecerunt Donatiſtæ, quod illis maximè vitio vertit S. *Auguſt.* lib: de Bapt: cap: 13. Cyprianus ejuſq; collegæ ante Concilii Oecumenici celebrationem ita ſentiebant; Donatiſtæ poſt definitionem duorum Conciliorum generalium nempe Nicæni I. & ConſtPolitani I. eumdem illum errorem audacius inſtaurarunt, quod hæreticorum proprium eſt. Hinc illos *Augûſtinus* ſæpius exagitavit Concilii plenarii authoritate, quamvis nullibi illud ex nomine deſignaverit *Cyprianus* cum ſuis illud baptiſma inane eſſe affirmabat ſolum, quod extra Eccleſiam collatum eſſet, Donatiſtæ non illud tantum,

ſed quodcunq; à malis miniſtris, quorum impietas nota eſset intra Eccleſiam, miniſtratum. Imo non deerant, qui omnes omnino miniſtros improbos etiam occultos eadem ſorte involverent, ut teſtatur *Auguſt:* lib: 2. contra *Creſconium* cap: 28. Errorem hunc poſt annos circiter ſeptingentos ſuſcitarunt denuo Apoſtolici, Albigenſes, Valdenſes, quibus Sacramenta à malis miniſtris collata, nulla omnino viſa ſunt. Eumdem novo abſurdo cumulavit Joannes *Wikleffus*, qui non modo peccatores, ſive occultos, ſive manifeſtos, nulla Sacramenta conficere commentus eſt, verum etiima & illos, qui in præſentia boni ſunt, mali tamen ſuturi ſunt, qua in re à Concilio Conſtantiensi ſeſs: 8. damnatus eſt.

Ut itaq; dogma Catholicum de fide Miniſtri ad integritatem baptiſmi non neceſſaria vindicemus, cæteraſq; ad hiſtoriam pertinentes difficultates reſolvamus, varia nobis tractanda veniunt. 1. Num fides & probitas Miniſtri valido baptiſmo conferendo necesſaria ſit? 2. Num Stephanus Rom:Pont:Cyprianum & Firmilianum cum eorum collegis ex-

om-

communicaverit? 3. Num Stephanus in oppositum errorem prolapsus fuerit? 4. Quo tempore Orientales a suo errore resipuerint? 5. quodnam illud Concilium plenarium, cujus authoritatem urget S. *August.* adversus Donatistas?

§ II.

Num Ministri fides & probitas valido baptismo conferendo necessaria sit?

Dicò. Infidelitas Ministri non officit valori baptismatis, modò aliàs cum debita forma ministretur; atq; adeò qui sunt ab hæreticis baptizati, si ad Ecclesiam Catholicam venerint, non sint denuo baptizandi.

Prob. Quod vetus Ecclesiæ traditio docet; illud omnino tenendum; atqui ab hæreticis baptizatos, si ad Ecclesiam Catholicam venerint, denuo non esse baptizandos vetus Ecclesiæ traditio docet, cujus se propugnatorem ac vindicem præbuit, & Affricanis opposuit *Stephanus* I. ita decernens in celebri illo rescripto Pontificio, quo suscitatam ætate sua controversiam diremit: *si quis à quacunq; hæresi venerit ad vos, ritè*

ac debitè baptizatus, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi tantum imponantur ad pœnitentiam. Hujus decreti fidem faciunt S. *Cyprianus* Epist. 74. *Eusebius* lib. 7. hist. cap. 2. S. *August.* passim in libris contra Donatistas & alii. Stephani judicium secuti sunt Pontifices Rom. alii, nempe: *Syricius* Epistola ad Hymerium Tarracon. *Innocentius I.* Epist. 2. ad Vitricium Rothomag. *Leo* M. Epist. 77. ad Nicetam. *Anastasius II.* Epist. ad Anastasium Imper. Pontificibus suffragata sunt Oecumenica Concilia & præcipue Nicænum I. quod can. 8. Novatianos aliàs Catharos, sive Mundos ad Ecclesiam redeuntes, nequaquam iterato baptismate, sed cum sola manuum impositione recipi jubet: *De his qui se nominant Catharos, id est, Mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes, sic in clero permaneant.* At Paulianistas, hoc est, Pauli Samosateni Discipulos denuo baptizari præcipit, eo quod Paulianistæ ritu Ecclesiastico baptismum non ministrarent; *de Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam con-*

fu-

fugientibus, *definitio prolata est*, *ut baptizentur*. Can. 19. Idem docet Concilium Arelat. I. can. 8. de Affris. *si prœviderint* (ab hæresi redeuntem) *eum in Patre & Filio & Spiritu S baptizatum*, *manus ei tantum imponantur*. Idem docent SS. Patres post præfata Concilia in Ecclesia florentes, præcipue S. *August*. qui dogma Catholicum ex instituto defendit libris septem adversus Donatistas rebaptizantes. S. *Hieronymus* speciali Dialogo contra Luciferianos. *Gregorius* Nazian. Orat. de bapt. & alii. *Momenta vero*, *quibus* SS. *Patres dogma Catholicum vindicarûnt*, *ista erant*. 1. Ex prælaudata Ecclesiæ præsertim Rom. traditione, quæ licet esset annorum duntaxat 250. (tot enim a Christo Domino anni effluxerunt) tantum roboris & authoritatis obtinuit, ut ob hanc unam S. Cypriani & aliorum Præsulum causa, licet nationalibus Conciliis confirmata, attonsa sit: *Consvetudinis robore*, ait S. Augst: lib. 2. de bapt. cap. 9. *tenebatur terrarum orbis*; *& hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem*. Alterum ex scriptura desumebatur, quæ

pas-

passim innuit, non Petrum, non Paulum baptizare, sed Christum: *hic est, qui baptizat in Spiritu S.* Joan. 1. *Nam neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat DEUS* 1. Corint. 3. Nihil verò oberit baptismi efficaciæ plantator aut rigator iniquus, si totam, quanta est, virtutem & vim a DEO repetit Sacramentum. Certè Christi Discipulos promiscuè baptizasse legimus Joan. 4. baptizabat ergo & Judas, vir utiq; nequam, nusquam verò proditum est, Apostolos, detecta illius nequitiâ, illos secundò tinxisse, quos hic baptizaverat. 3. Ex ipsa Sacramentorum conditione ac fine; Sacramenta enim sunt ad justificandos homines instituta, sunt salutis & gratiæ pixides; ergò non pendet salus hominis ab homine; atqui penderet, si Sacramenta nihil virtutis ac virium habent, nisi a fidelibus & probis hominibus conferantur; ergo. *Maledictus homo, qui confidit in homine,* ait Scriptura, sed confidere nos in homine opus esset, ex cujus fide & pietate regenerationis nostræ gratia penderet ac salus; ergo.

Ob-

Objic. 1. S. *Basil.* M. Epiſt: ad Amphilochium can. 1. & Epiſt. 9. can. 47. hæreticorum omnium baptiſma, nominatim verò Pepuzenorum, Encratitarum, Novatianorum, Hydroparaſtarum, & Apotacticarum iterandum decernit, etsi nullo prioris ætatis monumentô colligi poſſit, illos debitam baptiſmatis formam violaſſe. Idem docet S. *Cyrillus* Jeroſol. in præf. Catecheſeon; ergo.

Reſp. Basil. & Cyril. illorumq; Eccleſiæ nondum planè veterem morem depoſuerant, qui ab Orientalibus inductus fuerat hæreticos rebaptizandi.

Inferes: Ergo hi Patres egerunt contra definitionem Concilii Arelatenſis & Nicæni I.

Reſp. Dato quod egerint, ſed abſq; contumacia, partim quia Concilii Arelat. ubi disertis verbis damnatus eſt error, authoritatem non agnoſcebant; partim quia eum errorem a Nicæna Synodo oecumenica per legitimam conſequentiam damnatum eſſe, necdum hactenus deprehenderant. Cæterum quod ea ætate ſubobſcurum adhuc erat,

jau-

auctô subinde Donatistarum schismate, in publica orbis luce positum est.

Objic. 2. Core, Dathan, & Abiron absorpti sunt a terra, eò quod sacrificium mala intentione obtulissent Num. 16. ergo signum est sacramenta ab hæreticis & schismaticis collata, vacua esse.

Resp. 1. Ex hoc solum sequi videlicet nedum hæreticis & schismaticis, sed etiam impiis non licere conficere Sacramenta; posse tamen absolute; & quidem valide; cum Christo conjunguntur, si non per fidem & charitatem, saltem per intentionem. 2. Impii Catholici non obstante eorum pravitate vera conficiunt Sacramenta; quidni & conficerent tum hæretici tum Schismatici. Hinc Core, Dathan, & Abiron impietatis suæ pænas dederunt, eò quod absq; missione sacrificium obtulerant; impiis enim non licet Sacramenta ministrare, non autem quod sacrificium ab eis oblatum non fuerit verum. *Ita S. August. lib. 3. de Bapt. cap.* 18.

Dices. Hæretici sunt Antichristi 1. Jo-

Joan 2. & ipſe Chriſtus Lucæ 11. ait. *Qui non colligit mecum, diſpergit*; ergo.

Reſp. diſt. Hæretici ſunt Antichriſti, cùm agunt ut hæretici, *conc.* ſic enim diſpergunt, quia ſic nullô modô cum Chriſto conjunguntur. Si agant ut miniſtri cum intentione debita, *nego.* Sic S. Auguſt. lib. 3. de bapt. cap. 10.

Inſtabis. Hæretici nullo modô ad Chriſtum pertinent; ergo. *Prob. ant.* Hæretici Spiritum S. dare non poſſunt, adeoq; nec conferre Sacramenta, quem ſignificant, nemo quippe dat, quod non habet; ergo.

Reſp. 1. Inſtantia valet etiam contra malos Miniſtros Catholicos. 2. *diſt. ant.* Hæretici non habent Spiritum S. per gratiam gratum facientem, & ad propriam ſanctificationem, *conc.* per gratiam gratis datam, & ad aliorum utilitatem, *nego. Quapropter ſi baptiſma ſine Spiritu eſſe non poteſt, habent & Spiritum hæretici, ſed ad perniciem, non ad ſalutem, ſicut habuit Saul: ajt* S. Auguſt. lib. 5. de bapt. cap. 24.

Replicabis. Eo ipſo quod hæretici ſunt externi, non poſſunt generare filios

Ec-

Ecclesiæ; ergo non possunt habere Spiritum S. ad aliorum utilitatem.

Resp dist. non possunt virtute propria, *conc.* virtute Ecclesiæ, & nomine Christi, *nego.* Sicut igitur Spiritus S. quandoq; vel ipsis utitur impiis ad prophetandum, sic & Ecclesia nonnunquam utitur uterô alienô, ut filios procreet; sicut Sara per Agar voluit habere Ismaelem. *Ita S. August: lib. 1. de bapt. cap.* 16,

Urgebis: Hæretici solum aquam mendacem habent, juxta illud Jerem. 15. *facta est quasi mendacium aquarum infidelium;* ergo.

Resp. Hæretici habent aquam mendacem ex defectu fidei, quæ requiritur, ut confectio Sacramentorum illis prosit ad salutem, non ratione validitatis Sacramenti. Baptismus ergo nec conficienti nec suscipienti prodest, si fidem & charitatem non habeant, etsi in se validus sit, & characterem imprimat.

§ III.

§ III.

An Stephanus I. Rom. Pont. Affricanos Episcopos, & Asiaticos re ipsa excommunicaverit?

Duæ hac in re sunt sententiæ, prima Annalium parentis *Baronii*, qui præfatos Episcopos sacro anathemate percussos existimat. Ne vero cogatur dicere Sanctissimos Viros Ecclesiæ fastis adscriptos, extra Ecclesiæ Rom. communionem objisse, subjungit; illos demum errorem de rebaptizandis hæreticis deposuisse, S. *Dionysio* Episcopo Alexandrino vitam agente. Alii communiter negant.

Dico. Stephanum Rom. Pont. Cypriano cum Affricanis, Firmiliano cum Asiaticis, excommunicationem quidem comminatum esse, non tamen eos excommunicasse.

Prima pars á nemine vocatur in dubium, testatur quippe S. *August.* lib. de unico bapt. contra Petilianum cap. 14. *Cùm ergò Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, &* ip-

ipſius Cypriani literæ oſtendunt. Idem teſtatur Cyprianus ipſe Epiſt. 74. ad Pompejum, Dionyſius Alexand. Epiſt. ad Sixtum.

Altera pars patet etiam ex eodem S *Auguſt.* ubi cùm retuliſſet Stephanum excommunicandos cenſuiſſe rebaptizantes, mox ſubjungit: *tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit* Idem habet lib. 5. de bapt. contra Donat. cap. 25. *Ita quamvis commotiùs, Stephanus, ſed tamen fraternè indignaretur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione, nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur:* atqui pax Chriſti inter Cyprianum & Stephanum abrupta fuiſſet, si Cyprianum illiq; adhærentes excommunicaſſet Stephanus; ergo. Tum si non diſtrixit in Cyprianum, neq; profecto in Firmilianum diſtrixiſſe putandus eſt; una enim utriuſq; cauſa erat. Rurſus ſemper Cyprianus cum Firmiliano communicavit, datis Epiſtolis, tranſmiſſis Synodorum actis, uno verbô cauſam communem cum eo habuit, ſed de facto minus æquè iſta geſſiſſet, si Firmilianum à Stephano, cum quo pa-

cem

cem servabat ipse, excommunicatum agnovisset; ergo.

Dices. Firmilianus in Epist. ad S. Cyprianum datâ, semetipsum cum Co-Episcopis, Cyprianumq; cum Affricanis excommunicatos à Stephano innuit, ubi sic in Stephanum invehitur: *Peccatum verò quàm magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti; excidisti enim temetipsum &c.* scilicet Stephanum reum agit, quasi cæteros excommunicando, semetipsum excommunicaverit.

Resp. Hoc equidem multum probaret, si Firmilianus solus audiendus esset, sed cum S. August. imo ipse Cyprianus hoc non dicat, hominis irati verba temperanda sunt. Firmilianus ergo Stephani severitate commotus, quod Legatos ad colloquium non admiserit, quod tectum & hospitium fuerit interdictum, minas ejus exaggeravit, & intentatam excommunicationem, quasi re ipsa lata esset, atris coloribûs depinxit. Porro quod Legatis orientalium hospitium negaverit Pontifex, hoc fecit Oeconomiæ causa, ut orientales ab errore nascente revocaret, ne scilicet Legatos

be-

benignius excipiens, errori favere videretur.

§ IV.

An Stephanus Rom. Pont. omne baptiſma ab hæreticis datum, etiam in Nomine SS. TRINITATIS non collatum, ratum dixerit?

Stephano Rom. Pont, à *Blondello* Calviniſta vitio vertitur, quòd in rebaptizantium errore profligando, juris & æqui metas prætergreſſus ſit; nec modò baptiſma hæreticorum debitâ formâ miniſtratum approbavit; verùm etiam & illum, qui abſq; invocatione SS. TRINITATIS collatus eſſet baptiſmus:

Dico. Stephanus hæreticorum baptiſma promiſcuè non probavit, ſed quod Evangelicis verbis in forma debita collatum eſſet.

Prob. 1. Ex ore teſtis non ſuſpecti, nempe Firmiliani Epiſt. 74. ubi Stephani mentem clariſſimis verbîs exponit; *Illud quoq; abſurdum*, ait, *quod non putant, quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui batizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocatâ Trinitate nomi-*

minum Patris & Filii & Spiritus S. En apertam Stephani ſuppoſitionem. 2. Ex antiquis hujus controverſiæ Tractatoribus, *Auguſtino* in libris de Baptiſmo contra Donat. ex S. *Hieron.* in Dialogo contra Luciferianos; *Facundo* Hermian. lib. contra Marcionem, *Vincentio* Lirinenſi in Commonitorio, *Euſebio* lib. 7. hiſt. cap. 2. & aliis, qui eô maximè nomine Stephani zelum commendant, quod Eccleſiæ Rom. & Catholicæ traditionem ſuô illô decretô vindicârit; ergo niſi Catholicam & Romanam Eccleſiam in errorem lapſam concedamus, quod forte *Blondellus* non concedet, tunc enim III. Eccleſiæ fluxit ſæculum, quod integræ fidei dicunt Calviniſtæ, concedendum eſt, Stephanum ſolummodo illud baptiſma probaſſe, quod verbîs Evangelicis conſecratum in forma debita collatum eſt. Paucis: compertum eſt omnes illius ætatis Epiſcopos, duas in partes ſciſſos fuiſſe, Cypriani nimirum & Stephani; nulli rurſus dubium eſt, illos in errore verſatos eſſe, qui Cypriani partibus adhærebant: ſi Stephanus non Catholicam veritatem,

ſed

ſed errorem alterum è diametro oppoſitum latô decretô propugnabat; ergo errori adhærebant Epiſcopi, qui cum ipſo ſentiebant; atq; ita univerſa Eccleſia illius ætatis in errore circa baptiſmum verſabatur, quod promiſſioni Chriſti repugnat, qua ſpopondit nunquam portas inferi adverſus Eccleſiam prævalituras.

Dices. Decretum Stephani apud S. Cyprianum Epiſt. 74. refertur in hæc verba: *ſi quis a quacunq; hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam*; ergo hoc Decretô hæreticos omnes complexus eſt; atqui protunc hæretici non pauci erant, qui debitam baptiſmi formam violarent; ergo.

Reſp. nego conſeq. His enim Decreti verbis: *à quacunq; hæresi* ſolas illas hæreſes Stephanus intellexit, quæ aliunde baptiſmi formam integram ſervarent. Id ſatis ſtatus controverſiæ indicat. De ſola namq; Miniſtrorum infidelitate quæſtio movebatur, num ſcilicet baptiſmus ab infideli collatus validus eſſet? nulla verò de forma, quam omnes neceſ-

sa-

sariam fatebantur. Dum ergo à quacunq; hæresi venientes absq; novo baptismate recipiendos decernit Stephanus Pont. id cèrtò supponit, modo debita forma baptismate innitiati supponantur. Cæterum hoc supposuisse Stephannum jam dictum in prob.

§ V.

Quo tempore Orientales errorem de rebaptismo retractaverint?

Dico. Præsules rebaptizantes errorem suum vivente adhuc Stephano Pontif. aut paulo post ejus mortem non retractârunt.

Prob. Nihil in scriptis Patrum, de quibus in Concl. legere, quod eos ex priore sua sententia recessisse arguat; nihil quoq; in antiquorum monumentis reperitur, ex quo Patres, de quibus agitur, priorem suam opinionem deposuisse, possit evinci; ergo.

Dices. S. Dionysius Alexand. apud *Eusebium* lib. 7. hist. cap. 4. Epist. ad Stephanum Pont. significat: Orientales Ecclesias antea dissentientes ad con-

cordiam reductas esse, imo inter eos Episcopos & Ecclesias, numerat Firmilianum, totamq; Capadociam; ergò.

Resp. S. Dionysium non de controversia rebaptizantium, sed de schismate Novatiani locutum esse, quod cúm in Orientem permeasset, ætate Stephani sopitum est, Episcopis universis, seu Novatiano faventibus, seu Novatianum execrantibus, in mutuam concordiam adductis. Ita intelligendum Eusebius ipse indicat.

Quomodo potuit loqui Dionisyus de rebaptizantibus ad concordiam cum Stephano reductis, qui & ipse rebaptismo favit, ut patet ex ejus Epist. ad Sixtum Pont. Stephani Successorem apud Eusebium lib. 7. cap. 4. Concilia Iconiense & Synadense, ubi error ille sub Firmliano definitus fuerat, maximæ authoritatis Synodos vocat.

Imo ne quidem post 100. annos a morte Stephani hic error fuit extinctus, nam tempore S. Basilii M. hoc est, anno circiter 360. rebaptizabant multi, ipse Basilius Epistola 1. ad Amphilochium Firmiliani opinionem amplectitur. At

si

si Firmilianus eiq; consentientes Episcopi errorem illum dudum ejurassent, qua ratione illud ignorasset Basilius? Quomodo consvetudini jam dudum antiquatæ fuisset obsecutus.

Consectarium.

Nullum distinctum tempus præfiniri posse, quo errorem suum rebaptizantes correxerint; verisimilius est, correxisse circa annum 370. quod rebus mutuò inter se collatis extundere facile est. Non deposuerunt anno circiter 360. quo S. Basilius M. suas ad Amphilochium Epistolas dederat, deposuerant verò, antequam Augustinus Donatistas scriptis exagitaret, annô circiter 390. uti ex ipsa Donatistarum confessione colligimus apud August. lib. 3. contra Cresconium cap. 2. ii siquidem fatebantur: *Majores suos judicium rescidisse, quo eis placuerat, de ista baptismi quæstione cum D. Cypriano sentire.* Necesse igitur est correctionem istam factam esse intra annum 360. & 390. Quamquam verisimile est errorem uno eodemq; momentô, extinctum non esse, sed sensim sine sensu, prout

Ecclesiæ Præsules canonum 8. & 19. Concilii Nicæni sensum examinârunt, erroremq; rebaptizantium per legitimam consequentiam proscriptum internoverunt. Hinc facilè cum dictis conciliari potest S. Hieronymus, qui (ut supra innui) tradit Episcopos rebaptizantes ad antiquam revolutos consvetudinem, novum emisisse decretum; de suo enim tempore S. Doctor loquitur, quo sensim sine sensu extingvebatur error.

§ VI.

Quodnam fuerit illud plenarium Concilium, cujus authoritatem Donatistis Augustinus sæpius opposuit?

Post plurima, quibus à Donatistis recusum errorem rebaptismi Augustinus exagitat, argumenta, Concilii cujusdam plenarii authoritatem sæpius urget, cujus canonibus causam hanc eliquatam dicit ac definitam; nullibi tamen illud proprio urbis nomine nuncupavit. Hinc controvertitur inter Criticos, quodnam illud tandem esset, an Nicænum videlicet I. generale,

le, an Arelatenſe itidem I. paulò antè Nicænum celebratum in cauſa Cæcilia-ni contra Donatiſtas. Cùm enim utrumq; de hæreticis non rebaptizandis ſententiam dixerit, antequam Donatiſtas ſcriptis exagitaret Auguſtinus, illud quidem *can.* 8. & 19. iſtud. *can.* 8. alterutrum à S. D. appellari neceſſe eſt, de Sardicenſi namq; & Conſtantinopolitano I. Auguſtinum loqui, quis dicet? Hæ enim Synodi hanc controverſiam non attigerunt, niſi confirmando canones Nicenos.

Dico. Nomine Concilii plenarii à S. Auguſtino citati Nicænum I. intelligendum venit, non Arelatenſe.

Prob. Auguſtinus ſuum illud Concilium, in quo errorem rebaptiſmi proſcriptum ait, non plenarium duntaxat appellat, ſed *plenarium totius orbis concilium* lib. 1. cont. Donatiſt. cap. 7. *Plenarium univerſi Chriſtiani orbis* lib. 2. cap. 3. *Plenarium univerſæ Eccleſiæ, omniumq; regionum* cap. 4. Atqui notæ illæ in Concilium Nicænum apprimè cadunt, quod generale & oecumenicum fuit, ex univerſis totius orbis Epiſcopis congregatnm,

tum; minimè vero in Arelatenſe I. quod oecumenium nullus dixerit, quod ex quibuſdam ſolum provinciis occidentis ad cauſam Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis cognoſcendam convocatum fuit.

Confirmatur. S. Auguſtinus Concilii Arelatenſis ſæpius diſtinctè meminit, nempè Epiſt. 162. *ad Eleuſium Epiſt.* 68. *ad Januarium.* lib. 2. *contra Literas Petiliani* cap. 91. lib. 4. *contra Creſconium* cap. 7. plenarii tamen nomen illi non attribuit, ſed judicium Epiſcopale duntaxat appellat. Imò non modo Concilii plenarii titulum Arelatenſi Concilio nuſquam detulit Auguſtinus, verùm etiam Arelatenſe concilium plenario Concilio oppoſuit laudata *Epiſt:* 162. ubi Donatiſtarum obliquas artes ſugillat, quod à Rom. Concilio ſub Malchiade Rom. Pont. celebrato, damnati, ad Imperatorem provocaſſent, qui cauſæ illorum diſcutiendæ provinciam Concilio Arelatensi demandavit; cúm potius ad plenarii Concilii judicium provocare debuiſſent; atqui hoc nunquam dixiſſet Auguſtinus, ſi Concilium illud Arelatenſe uti plenarium agnoviſſet.

Di-

Dices 1. Auguſtino familiare eſt concilii plenarii nomen iis etiam Synodis attribuere, quas oecumenicas nequaquam agnoſcit. Sic concilium Bagajenſe à Donatiſtis celebratum, ut ortum inter eos ſchiſma ſedaretur, plenarium vocitat lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 5. etſi illud oecumenicum non agnoſceret; ergo quamvis Concilium Aréłatenſe oecumenicum non fuerit, plenarii tamen Concilii nomine potuit intelligi ab Auguſtino.

Reſp. Concilium Bagajense non abſolutè plenarium appellat Auguſtinus, ſed plenarium Donatiſtarum, quia ad illud totius ſectæ Præſules ſchiſma ſedeturi convenerant; nuſquam verò ſivè illud, ſive alia hujuſmodi Concilia dixit plenaria totius orbis, cunctarum gentium, omnium Eccleſiarum, quſbus omnibus titulis Concilium plenarium, de quo in præſentia, ornavit.

Dices 2. Concilium Arelatenſe I. ex omnibus mundi partibus convocatum fuiſſe inſinuatur *can. 18*: alterius Concilii Arelatenſis; ergò.

Reſp. Quod *can. 18*. dicitur *ex omnibus*

bus mundi partibus Episcopos convenisse, exaggeratione quadam dictum est, quod indè patet, quod addatur, *& præcipuè Gallicanis.* Hoc minus congruè adderetur, si partes orbis universæ intelligendæ forent. Certè ex omnibus mundi partibus non fuisse convocatum Concilium illud, ex ipsa Constantini M. à quo fuerat convocatum, Epistola *ad Christum Syracusanum Episc.* satis liquet. Liquet hoc idem ex ipsa Epistola synodica Concilii ad Sylvestrum Pont. ubi se ex diversis provinciis convenisse profitentur Episcopi.

Dices 3. Concilii plenarii nomine, in quo quæstio de baptismate hæreticorum finita est, Concilium aliquod trans mare celebratum intellexit S. Augustinus lib. 2. contra Donat. de bapt. cap 88. atqui Augustino in Africa scribenti, Arelatense Concilium transmarinum est, minimè verò Nicænum; ergò.

Resp. Ut alia taceam, Nicænam urbem Africæ comparatione transmarinam non obscurè dicit Augustinus, lib. 2. *contra Cresconium cap. 37.* ubi inter Ecclesias transmarinas, quarum autho-

ri-

ritate urget Donatiſtas, Bythiniæ Ecclesias recenſet; Nicæa verò, quæ Nicæno Concilio dedit nomen, Bythiniæ civitas eſt, ſit ergò conſequens Nicænum Concilium tranſmarinum fuiſſe Africanis, adeoq; nomine *univerſalis & traſmarini Concilii*, ubi Rebaptizantium profligatus eſt error, à S. Auguſtino intelligi potuit.

Dices 4. In Concilio Arelatenſi diſertis verbis can. 8. rebaptiſmus damnatur; nullus autem canon in Concilio Nicæno extat, quo ſanciatur hæreticorum baptiſma ratum eſſe; ergò.

Reſp. Primum non diffitemur; alterum negamus; nam *can.* 8. decretum eſt, Novatianos ad Ecclesiam reduces cum ſola manuum impoſitione recipiendos eſſe, non iterato baptiſmate, ut jam dictum ſupra, quod nempè ii ritu debito baptiſmum adminiſtrarent; *can.* autem 19. Paulianiſtas ad Eccleſiæ sinum confugientes, ſtatuit baptizandos eſſe, quod videlicet Evangelicum baptizandi ritum nullatetus obſervarent.

Dices 5. Si veritas hæc in Concilio Nicæno definita erat, quorſùm ergò Ba-

si-

silius M. Conciliô illô posterior *Epist. 2. Amphilochium* scribebat, opportunum esse, ut plures Episcopi simul conveniant ad condendum canonem, an baptisma Encratitarum, Saccophororum, & Apotactirarum probandum esset, vel rejiciendum?

Resp. Incertum est, cur hæc Basilius scripserit; hoc tamen certum, idem argumentum in adversarios regeri posse; quorsum ita Basilius scripserit, si jam quæstio finita fuerat in Arelatensi Concilio? Non ergò perspicua neganda sunt, quia alia obscura sunt; nec negandum, quæstionem hanc à Concilio Nicæno decisam esse, quia vix satis intelligi potest, cur novum de ea re canonem Episcoporum postulaverit Basilius. Nisi fortè Basilius id postulaverit, quod error non distinctim & nominatim in Concilio Nicæno damnatus esset, sed per legitimam duntaxat consequentiam ex *can.* 8. & 19. derivatam, ut jam supra dixi; fieri quippè potuit, ut S. Basilius ad eam consecutionem minus adverteret, quam Patres S. Viro posteriores, quos excitata à Donatistis

con-

controversia attentiores fecit, fecutis temporibûs obfervarunt.

Confectarium.

Ex his, quæ de Miniftro baptifmatis, ut vocant, ordinario hucufq; dicta funt, colligitur, quid tandem de Miniftro neceffitatis dicendum veniat. Ecclesia enim Catholica neminem hujufce administrandi Sacramenti facultate deftitutum exiftimat; sed omnes & singulos etiam de populo, mares, ac fæminas, hæreticos, judæos & ethnicos, fufficientes baptifmi adminiftrandi Miniftros agnofcit, ubi extrema neceffitas urget; ita tamen, ut hunc inter illos ordinem fervari velit, ut nimirum abfente Presbytero, cui jus illud affertum eft, Diaconus, si fortè præfto fit, cæteris præponatur; Clericus Laico; vir mulieri, monogamus bigamo; fidelis infideli. De mulieribus, nec non iis, qui ipsi baptizati non funt, quæftio fuit olim, num ratum baptifma conferre poffent? Tertullianus hanc mulieribus facultatem adimit, quantalibet neceffitas urgeat *lib. de bapt. c.* 17. De S. Augufti-

no

no explorata quoq; res eſt, illum ſubdubitaſſe, num baptiſmus ab homine non baptizato collatus iterandus eſſet, atq; adeò irritus eſſet habendus, ut Concilium oecumenicum, ad hujus quæſtionis definitionem, celebrandum optaverit *lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani, & lib. 7. de bapt.* cap. 53. Modo nullum extat dubium; & *quidem in Chriſto JESU non eſt maſculus, neq; fœmina*; ergò ſicut maſculus laicus baptizare poteſt, quia miniſter Chriſti eſt, de quo Joannes ait. *hic eſt, qui baptizat*, ita etiam fæmina. Aliundè cúm ea facultas à nullo charactere, nulla inauguratione dependeat, ne quidem à fide miniſtri; ut jam dictum, perindè ab hebræo atq; gentili conferri validè poterit, ſi ritum Evangelicum ſervaverit.

ARTICULUS V.

De cæremoniis baptiſmi.

De cæremoniis Sacramentorum in communi dictum eſt ſuperius; núnc autem agendum reſtat ſpecialiter de cæremoniis baptiſmi, & quidem.

I. Suppoſitâ aquæ conſecratione afferun-

runtur, aut adducuntur baptizandi ad fores Ecclesiæ, & ab ejus introitu arceantur, quia non sunt digni, ut domum Dei ingrediantur, antequam Diaboli jugum excusserint, & se Christi imperio subjecerint.

II. Baptizando nomen imponitur, ut olim in Circumcisione; ut agnoscat se militiæ Christi adscribi: debet autem esse nomen alicujus Sancti, ut habeat exemplar virtutum, quod imitetur, Patronum & Advocatum, quem colat & invocet. Præferenda sunt nomina Sanctorum novi Testamenti veteribus, non in horum contemptum, sed in execrationem Hæreticorum, qui affectant nomina Sanctorum veteris Testamenti, sive quia Sanctos non honorant, sive quia Ecclesiam Rom: veteri Synagogæ postponunt.

III. Adhibentur exorcismi cum precibus, & tribus insufflationibus ad expellendum Dæmonem, ejusq; vires frangendas, ne impediat baptismi susceptionem & ejus effectum. Insufflationibus significatur non solùm expulsio Dæmonis contempti, sed etiam illapsus Spiritûs Sancti.

IV.

IV. Baptizandus obſignitur ſignô crucis in pluribus corporis partibus, ut crucem non erubeſcat, & in ea fiduciam ponat, & ſignificetur omnes ſenſus aperiri & roborari, ut Deum excipiat, ejuſq; præcepta intelligere, & ſervare valeat.

V. Sal ori apponitur, ut ſignificetur, qùod victima Chriſti non debeat peccatorum vermibûs putreſieri.

VI. Nares & aures ſalivâ liniuntur, ſub his verbis: *Epheta, quod eſt, adaperire.* Et ſtatim baptizandus mittitur ad baptiſmum; ut ſicut cæcus Evangelicus, oculis lutô illitis, *Siloes* aquis lumen recuperàvit, ſic intelligamus eam vim eſſe ablutionis baptiſmalis, ut menti ad cœleſtes veritates percipiendas lumen adferat. ut dicit *Catechiſmus Rom.*

Hîs peractîs defertur, aut deducitur baptizandus ad fontem baptiſmalem, & *1mo.* Sacerdos ter ipſum interrogat, *Abrenuntias Satanæ & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus.* Cui ille, vel Patrinus ejus nomine reſpondet ad ſingulas interrogationes: *Abrenuntio.* Pollicetur ergo baptizandus ſe Diabolum & mundum deſerere, ſeq; omni tempore utrumq;

tanquam hoſtem averſaturum. Ad hæc attendant Chriſtiani. *2do.* Baptizandus ungitur oleô ſacro dicto Catechumenorum, in pectore & ſcapulis, quaſi athleta; in pectore ad recte credendum, in ſcapulis ad Chriſti jugum fortiter portandum, & bona opera exercenda. *3tio.* Interrogatur à Sacerdote *credis in DEUM*, cui ille reſpondit: *credo*; ut fidem ſuam ſolemniter profiteatur, juxta illud Chriſti Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* *4to.* Petit Sacerdos à baptizando, num baptizari velit? quo annuente, vel ejus nomine, Patrino, baptizatur: quia ſicut homo voluntarie ſerpenti obediendo damnatus eſt, ita Deus neminem vult ſuæ adſcribi militiæ niſi volentem, ut Divinam legem ſpontè ſervans vitam conſequatur æternam.

Baptiſmô abſoluto *1mo.* Sacerdos verticem baptizati chriſmate inungit, ut intelligat ſe jam Chriſto capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, & ea re Chriſtianum à Chriſto, Chriſtum verò à chriſmate appellari. *2do.* Olim admittebatur baptizatus ad oſculum pacis, in ſignum unionis & fraternitatis; item in

ſignum

ſignum glorioſæ reſurrectionis & innocentiæ acceptæ induebatur veſte alba, quam deferebat, uſq; ad octavam Paſchæ, & inde dicta eſt Dominica *in Albis*, ab albedine veſtis, quæ hac die deponebatur. Item porrigebatur lac & mel guſtandum in ſignum novæ infantiæ: unde in eadem Dominica *in albis* cantatur in introitu illud ex Epiſt: S. Petri *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* 3tio. Nunc etiam datur baptizato cereus accenſus, ut intelligat fidem charitate inflammatam, quam in baptiſmo accepit, ſtudiô bonorum operum eſſe alendam & augendam, *inquit: Catech. Rom.*

Has cæremonias pro majori parte carpunt & damnant Lutherani & Calviniſtæ, ſed immerito; habent enim, ut dictum eſt, ſuas ſignificationes & effectus, reverentiam conciliant Sacramento, erudiunt imperitos, & mentes ad cœleſtia erigunt. Inſuper ſunt antiquiſſimæ.

Exorciſmorum meminit S. *Juſtinus* in Dial: cum Triph: *Tertull*: de præſcript: cap: 41. S. *Cypr:* Ep: 2. S *Cyril*: Catecheſi 1. *Ambr:* lib: 1. de Sacr: c. 5. Exſufflationum *Ambroſ.* lib: de iis, qui ini-

tian-

tiantur cap: 1. *Auguſt*: lib: de peccato orig: c. 40. & lib: contra Jul: cap: 5. Salis deguſtandi, *Origenes* hom: 6. ſuper Ezech: *Concil: Carthag*: III. can: 5. *Iſidorus* lib: 2. Offic: c. 20. *Auguſt*: lib: 1. Confeſ. c. 11. Linitionis narium & aurium *Ambr*: lib: 1 de Sacram: c. 1. & de iis, qui initiantur c. 1. & ordo Rom: Inunctionis olei in pectore & ſcapulis, deindé unctionis Chryſmatis in vertice S. *Clemens* lib: 3. Recogn: S. *Chryſoſt*: hom: 6. in cap: 2. Epiſt: ad Coloſs: S. *Cyril*: Catecheſi 2. S. *Ambroſ*. lib: 1. de Sacram: c. 2. & lib: 2. c. 7.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Baptiſmo Conſtantini Imperatoris.

Duplex eſt circa hoc factum opinio. *Prima* tenet *Conſtantinum* baptizatum ſe iſſe Romæ à S. *Silveſtro* anno 324. ſtat. 50: anté mortem 14. ita *Baronius* cum multis ejus ſequacibus. *Altera* tenet baptizatum fuiſſe in Suburbio Nicomediæ ſub finem vitæ. Ita plerumq; Recentiores, *Papebrochius* ad diem 21. Maji, Antonius Pagi ad annum 324. Natalis Alex: ſæc: 4. Differt 23. Bene-

dictini Maurini in notis ad Orat: S. Ambrosii de obitu Theodosii, Tillemontius, Fleury &c. utriusq; sententiæ momenta proponam.

Momenta Baptismi Constantino collati Romæ à Sancto Silvestro.

Primum momentum petitur ex actis S. Silvestri, quæ sic factum narrant. Hæc autem Acta venerandæ authoritatis esse in Ecclesia constat *1mo:* Quia Adrianus I. in Epist: ad Constantinum & Irenem ea laudavit ad vindicandum cultum SS. Imaginum. 2*do*. Quia Gelasius severissimus Apocryphorum censor, nulla censurâ ea notavit, sed econtra dixit à pluribus Catholicis legi. 3*tio*. Quia Romano Breviario sunt inserta.

Secundum momentum eruitur ex Conc: Rom: an: 324. in cujus exordio asseritur: *Constantinum baptizatum fuisse à Silvestro Episcopo Urbis Romæ, & mundatum fuisse à lepra.*

Tertium ex Nicolao I. in Epist: ad Michäëlem Imper: ubi post laudatum quoddam S. Silvestri decretum, dicit: *Consonat huic sententiæ S. Silvester & magni Constantini baptizator.* Idem dicit Ana-

stasi-

ſtaſius Bibliothecarius in chronico. Nicephorus lib: 7. Hiſt; Eccl: cap: 33. & 34. narrat, Conſtantinum Romæ a S. Silveſtro fuiſſe baptizatum, idq; probat ex baptiſterio Conſtantini, quod Romæ aſſervatur; & addit, figmentum eſſe Arianorum contra communem Eccleſiæ ſenſum, quod Conſtantinus fuerit Nicomediæ baptizatus.

Quartum deducitur ex Zoſimo Ethnico, qui lib: 2. Hiſt: innuit: Conſtantinum hortatu & conſiliis cujusdam Ægiptii ex Hiſpania adventantis, fuiſſe Romæ baptizatum.

Quintum ex congruentiis. *1mo.* Incredibile videtur pientiſſimum Imperatorem adeo ſuperſtititioſum fuiſſe, ut, propter Baptiſmum in Jordane ſuſcipiendum, illum in finem vitæ diſtulerit, præſertim cùm anno ante obitum id opportune exequi potuiſſet, dum Orientis Epiſcopos Jeroſolymam ad dedicationem Templi convocavit. *2do.* Quia ſi Nicomediæ baptizatus fuit morti proximus, ſequitur ipſum baptizatum fuiſſe ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo Ariano, ſicq; ipſum ab Eccleſia alienum objiſſe.

Quid vero hæc ſententia reſpondet argumentis ſententiæ contrariæ dicemus in hujus expoſitione. Unde.

Momenta Baptiſmi Conſtantino collati Nicomediæ ſub finem vitæ.

Primum petitur ex Euſebio Cæſarienſi lib: 4. de vita Conſtantini cap: 61. & 62. ubi narrat, quomodo Conſtantinus morbo correptus ad aquas calidas Helenopolis juſſit ſe deferri; quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primùm meruit accipere. Ex quo inferunt multi, tunc tantùm factum fuiſſe Catechumenum; alioquin non dixiſſet *primum*; ſiquidem Catechumeni fierent ab Epiſcopis per manuum impoſitionem. Helenopoli ingraveſcente morbo, delatus eſt ad Suburbana Nicomediæ, ubi cum coram præſentibus Epiſcopis peroraſſet, ardensq; deſiderium indicaſſet nunc baptiſmum ſuſcipiendi, *quod olim ſtatuerat agere in flumine Jordanis*, exemplo Chriſti; proſequitur Euſebius: *illi verò* (Epiſcopi) *ſolemni ritu Divinas cæremonias peregerunt, injunctiſq; ei quæcumq; neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participem eum fecerunt. Solus igitur*

ex

ex omnibus, qui unquam fuerant, Imperatoribus, Conſtantinus in Chriſti myſteriis renatus, & conſummatus eſt, & Divinô donatus ſignaculô, exultavit Spiritu.

Opponunt prioris ſententiæ Patroni nullam hac in re fidem eſſe adhibendam Euſebio propter duo. *1mo.* Quia Euſebius pugnantia narrat: ſcripſit enim antea Conſtantinum omnibus viri Chriſtiani & fidei protectoris officiis functum fuiſſe, Concilio Nicæno interfuiſſe, leges pro Chriſtianis dediſſe, Eccleſias extruxiſſe, Hæreticos ſuis templis ſpoliaſſe, Gentiles ad fidem invitaſſe, jejuniô & orationibus vacaſſe, in Tabernaculo imagine crucis inſignito, quod habebat in caſtris, Dominicos dies & feſta Martyrum celebraſſe, *Sacrorum myſteriorum participem, Pontificis atq; Hierophantæ* (æditui) *munere functum in Paſchæ vigiliis, cum cæteris* (Fidelibus) *pernoctaſſe* lib: 4. c. 22. Item lib: 1. c. 32. Præfixus eſt hic titulus: *Quomodo Conſtantinus Catechumenus factus ſcripturas ſacras legerit.* Et tamen lib: 4. c. 62. cit: dicit, ipſum Helenopoli in Templo Martyrum ſub finem vitæ primum factum fuiſſe Catechumenum,

ut prius observatum est. 2do, Quia Eusebius erat Arianus, & de Baptismo Constantino Romæ collato á S. Silvestro siluit, ne Constantium ejus filium, qui ad partes Arianorum defecerat, argueret tamquam paternæ pietatis desertorem.

Verum reponunt hujus sententiæ defensores *ad 1mum*; his evinci quidem Constantinum à cultu idolorum ad fidem Christi esse conversum, & eum non solum animô, sed etiam externâ professione esse Christianum, non tamen esse Christianum baptismi collatione; hæc enim omnia præstare potuit absq; baptismo: nam quamvis dicatur orationibus cum aliis vacasse, non dicitur *in Ecclesia*, forte enim in palatio, ut sæpe solebat; & dato diceretur *in Ecclesia*, non erat prohibitum Gentilibus etiam non Catechumenis orare cum fidelibus in Ecclesia, usq: ad offertorium. Quod autem dicat *ipsum fuisse participem mysteriorum*, non intelligit, quod admissus fuerit cum aliis fidelibus ad communicationem & participationem Sacramentorum, sed quod mysteriis Christi esset imbutus, & fidei particeps. Dicit: *Pontificis & Hierophan-*

ta

tæ munere functum fuisse, quia suo mandato & exemplo augustiorem reddidit solemnitatem paschalem, accensis per totam civitatem in vigilia paschæ cereorum columnis & lampadibus, atq; erogatis illucescente die largis eleemosinis. *Ad secundum.* Esto Eusebius Cæsarien: fuerit Arianus, incredibile est ipsum voluisse splendidè mentiri, in causa Arianos non spectante, & in hujus facti narratione, cujus erat adhuc recens memoria, & in qua putidi mendacii ab innumeris pene testibus adhuc viventibus convinci potuisset; superstites enim erant, qui scirent Constantinum & Romæ fuisse baptizatum, & Nicomediæ non fuisse baptizatum. Adde: Eusebium ab omni retro antiquitate in iis, quæ non spectant Arianam hæresim, habitum semper fuisse, & laudatum tanquam sincerum & veracem historicum. Quantum ad titulum cap: 32. reponunt, titulos istos non esse Eusebii, sed ab aliquo recentiore compositos; tum quia de Eusebio loquuntur in tertia persona; tum quia non reperiuntur iidèm in omnibus editionibus; & revera illum de quo est quæstio,

non

non reperio in editione Colonienſi 1612. ſed capiti 26. lib: 1. hunc lego titulum præfixum; *Quomodo Conſtantinus Chriſtianorum myſteriis inſtructus, ſacris literis operam dederit.* Tum quia Euſebius in toto iſto cap: 32. vel 26. nullatenus dicit Conſtantinum factum fuiſſe Catechumenum, ſed tantum evocatis Epiſcopis viſionem crucis aperuiſse, & inde lectioni ſacræ ſcripturæ vacaſse.

Altera Baronii conjectura, inquiunt, utcunq; valeret, ſi Euſebius ſolum tacuiſset baptiſmum Conſtantini Romæ a S. Silveſtro collatum; at non ſolum id tacuit, ſed etiam aſseruit, baptizatum fuiſse Nicomediæ ſub finem vitæ. Inſuper nihil intererat Conſtantii, quando & ubi fuerat baptizatus Conſtantinus, ut in ejus gratiam tam apertum mendacium fingeret Euſebius; erat enim aliunde toti univerſo notum Conſtantinum fuiſse Arianæ hæreſeos infenſiſſimum hoſtem, conſequenter paternæ pietatis & fidei deſertorem eſse ejus filium Conſtantium.

Secundum momentum, quo primum confirmatur, & Euſebii fides magis vin-

dica-

dicatur, petitur ex ſequentibus Scriptoribus, quorum nullus Euſebium mendacii arguit, ſed omnes in ejus ſententiam iverunt, & Conſtantinum morti proximum Nicomediæ baptizatum fuiſſe diſertè aſſeruerunt, *Socrates* lib: 1. c. 39. *Zoſomenus* lib: 2. c. 34. *Theodoretus* lib: 1. Hiſt: Eccles: c 32. S. *Hier:* in Chron: ad annum ultimum Conſtantini & alii.

Tertium momentum eruitur ex Epiſt: Epiſcoporum Catholicorum in Concil: Ariminenſi ad Conſtantium Imper: quæ legitur apud S. *Athan:* lib: de ſynodis Arimini & Seleuciæ, apud Socratem lib: 2. cap: 37. Zoſomen. lib: 4. cap: 18. Theodoret: lib: 2. cap: 19. & S. Hilarium in fragmentis. In hac ergo Epiſtola Epiſcopi Catholici nullo intervallo ſejungunt baptiſmum Conſtantini ab ejus obitu, ſic enim alloquuntur Conſtantium: *fuit nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cum Imperator Conſtantinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni curâ & diligentiâ conſcriptam promulgavit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle.*

Re-

Reſpondet Baronius textum hujus Epiſtolæ eſse adulteratum, & loco *Conſtantini* legendum eſse *Conſtantem*, quia ſic legitur in verſione latina S. Athanaſii.

At reponunt alii, non advertit Eminentiſs: Scriptor in textu Græco S. Athanaſii legi *Conſtantinum* & non *Conſtantem;* item *Conſtantinum* legi apud Socratem, Zoſom: Theodoret: & in omnibus codicibus ſcriptis & editis; ideoq; ex oſcitantia interpretis aut Typographi *Conſtantem* pro *Conſtantino* in verſione latina S. Athanaſii irrepſiſse. Inſuper Patres Ariminenſes ſcripſiſse *Conſtantinum,* & non *Conſtantem,* aut Conſtantinum juniorem, conſtat ex his, quæ paulo ante dixerant: *indecens enim,* inquit, *& nefarium aliquid ex recte & juſte decretis, & ex rebus Nicææ cum illuſtriſſimo Principe Conſtantino Patre tuo per accuratam deliberationem conſtitutis, aliquid immutare velle.*

Quartum momentum eſt authoritas S. *Ambroſii,* qui in oratione habita in funere Theodoſii Imper: dicit: quod Conſtantino *Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit.* His addunt

S.

S. *Isidor*: in Chron: ex Recentioribus *Æneam* Sylvium in Dialogis biennio ante Pontificatum editis; Cardinalem *Cusanum* l. 3. Concord: Cathol: c. 2. & alios.

Ad momenta vero prioris sententiæ sic respondent hujus posterioris assertores.

Ad primum dicunt Acta S. Silvestri fatente ipso Baronio, patentissimis scatere mendaciis, sicq; nullius esse ponderis argumentum ex illis deductum. Narrant siquidem hæc acta anno 315. Romæ congregatum esse Concilium 75. Episcoporum & 109. Sacerdotum Judæorum, exceptis 12. missis ab *Isachar* Pontifice ad Helenam, ut dissererent coram illa, & Constantino filio de Religione; Helena quippe erat adhuc Gentilis, sed á Judæis pene effecta Judæa, & valde commota in Filium Constantinum, quod Religionem Christianam amplexus esset, ad eum dedit literas plenas blasphemiis adversus Christum. Hæc putidissima, inquiunt, esse mendacia nemo non videt, nec negat Baronius: quis enim credat Catholicos Episcopos concilia-

ciliariter convenifse cum Judæis, ut de fide difputarent, & alios Judæos a fuo Pontifice mifsos, cùm conftet ab excidio Jerofol: nullum apud Judæos creatum fuifse Pontificem, & Pontificis nomen efse extinctum. Item quis credat Helenam tam acriter infenfam in filium, ad eumq; literas iratas, & blafphemas dedifse, cum de hoc altum fit apud veteres filentium? Aliud mendacium eft quod S. Silvefter jejunium Sabathi abrogaverit, ut referunt acta, cùm certùm fit illud ab ejus fuccefsoribus fuifse religiofe fervatum. Item mendacium eft, quod, ut refertur in actis, S. Silvefter inftituerit primam diem hebdomadæ vocari *Dominicam*, cùm jam ita vocaretur tempore Apoftolorum. Apocal 1. Et ut ad fubjectam materiam accedamus, falfiffimum eft, quod afserunt hæc acta, S. Silveftrum latitafse in monte Soracte, ut Conftantini perfecutionem fugeret; cùm certum fit Conftantinum ante plures annos ad Religionem Chriftianam converfum, eam ubiq; & omnibus modis fovifse ac protexifse. Pariter falfum eft, ut ferunt acta, Conftantinum parafse

fibi

ſibi balneum ex ſangvine puerorum, ut curaretur à lepra, ſed ab ea baptiſmo fuiſse ſanatum. Præterquam enim, quod nullus veterum tanti miraculi meminerit, cum Julianus Apoſtata Chriſtianis exprobraret baptiſmum non mundare à lepra; ergo a fortiori nec a peccatis; S. *Cyril:* Alexand: lib: 7. contra Jul: huic exprobrationi & argumento reſpondens, non dicit Conſtantinum fuiſse baptiſmo á lepra mundatum, quod dubio procul non omiſiſset, ſi res ità ſe haberet; ſed reſpondet Chriſtum, qui tot miracula in corporibus hominum edidit, potuiſse etiam aquis vim mundandi á lepra conferre, ſed gratiam, quæ in baptiſmo datur potentiorem effeciſse, & ad alios uſus, ſcilicet ad medendum morbis animæ eſse nobis datam. Nulla ergo inferunt, fides actis, quæ his & pluribus aliis mendaciis ſunt infarta, nullius ponderis argumentum ex illis deductum. Quod Adrianus I. hæc acta laudaverit, nihil juvat (inquiunt;) illa enim laudavit, quia ob antiquitatem aliquid conferre poterant ad aſserendum cultum imaginum; neq; dicunt, omnia in eis contenta

eſſe

eſse falſa. Gelaſius illa nulla cenſura notavit, vel quia nihil fidei contrarium continent, vel quia Gelaſii tempore non erant, ſicut nunc ſunt, adulterata, & falſitatibus ſcatentia. Quantum ad Breviarium Rom: reſpondent, ipſum hac in parte poſse emendari, ſicut in pluribus aliis jam fuit emendatum.

Ad 2dum: reſpondent hoc concil: Rom: anno 324. eſse fictitium, aut intolerabiliter depravatum, multis argumentis probari: Inter alia *1mo*; quia in Prologo Photinus dicitur ibi condemnatus; cùm tamen conſtet hæreſim Photini longè poſtea emerſiſse, nec ante Concil: Sirmienſe fuiſse damnatam. *2do*: dicitur S. Helenam Conſtantini Matrem huic Concilio cum filio interfuiſse, & ſubſcripſiſse, quod eſt ridiculum & á moribus Eccleſiæ alienum. Omitto hæc aperte pugnare cum actis S. Silveſtri, quibus innititur præcipue iſta ſententia. *3tio*. quia plures hujus Concilii canones ſunt prorſus inepti diſciplinæ Eccleſiaſticæ, imo & communi ſenſui repugnantes vg. canone 3. ſancitum eſt, quod non condemnabitur: *Subdiaconus Accolytus, Exorciſta,*

cista, Lector, nisi sicut scriptum est, in septem testimoniis, filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes. Imprimis nullibi id *scriptum est*. Insuper ad quos referantur hæc verba: *filios & uxores habentes*, non liquet; si ad Subdiaconum, Accolytum &c. ergo non solum possunt Subdiaconus & minores Clerici, sed etiam debent habere uxores & filios; si ad testes, ergo nemo potest esse testis idoneus contra Clericum, nisi habeat uxorem & filios: utrumq; autem est absurdum: can: 10. dicitur: *Nullus Episcoporum virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi probaverit 72. annorum esse constitutam.* Quis autem unquam audivit virgines maritali consortio consecrari, nec ante 72. annum posse benedici, aut nuptas posse consecrari: can: 13. sancitur: *nemo nisi velamen cœleste acceperit primum conjugii per manus Sacerdotis ad Clericatus honorem accedat.* Quasi verò necesse sit, prius nubere, quam fieri Clericum.

Ad tertium: reponunt Nicolaum I. adulteratis actis S. Silvestri circa baptismum Constantini fuisse deceptum. Idem dicunt de Anastasio Bibliotheca-

rio, de Nicephoro & quibuſdam aliis; majoremq; fidem adhibendam eſse antiquis Scriptoribus Euſebio, Socrati, Zoſomeno, Evagrio, Theodoreto, Patribus Arimin. S. Hieronymo, Ambroſio, Iſidoro &c. quam quibuſdam Recentioribus. Neq; ex Baptiſterio Rom: quod dicitur Conſtantini, ſolidum poſse erui argumentum; potuit enim ita nominari, non quia in eo baptizatus fuit Conſtantinus, ſed quia ejus munificentia in aliorum uſum fuit extructum.

Ad quartum: dicunt narrationem Zoſimi Ethnici, á Scriptoribus Eccleſiaſticis Zoſomeno & Evagrio convinci falſitatis, & in odium Chriſtianæ religionis eſse confictam. Vide Zoſom: lib: 1. cap: 5. Adde quod Zoſimus non dicat Conſtantinum fuiſse Romæ baptizatum, ſed tantùm quod conſiliis & hortatu iſtius Ægiptii: *principium impietatis hoc dedit, ut divinationem ſuſpectam haberet.*

Ad quintum: ex congruentiis: *Ad primam*, negant ſuperſtitioſum eſse velle exemplo Chriſti baptizari in Jordanis aquis, quas ſuo contactu ſpecialiter ſanctificaverat ipſe Salvator; ſed ècontra

id

id esse pium, & a pluribus tunc religiosé frequentatum. Nec refert, quod id opportune potuerit prius Constantinus; non enim quæritur, quid potuerit, sed quid fecerit. *Ad secundam* congruentiam duo reponunt: Primum, quamvis Hieron: & Isid: dicant baptizatum fuisse ab Ariano, id tamen non constat; id namq; silet Eusebius, & Gelasius Cyzicenus apud Photium in Bibliot: cod: 88. contrarium asserit, referens: *Constantinum baptismate tinctum ab Orthodoxo Sacerdote, non ut quidam prodiderunt, ab Hæretico aliquo.* 2do. Esto baptizatus fuerit ab Eusebio Nicomediensi, non sequitur ideo, eum factum fuisse Arianum, aut peccasse, quia Eusebius Nicomediensis sese adhuc tunc simulabat Catholicum & Concilio Nicæno subscripserat; nec nisi post obitum Constantini palam apparuit Hæreticus.


Observandum *Anselmum* Havelburgensem Episcopum, ut utramq; sententiam conciliaret, dixisse Constantinum baptizatum fuisse Romæ, a Silvestro, & rebaptizatum Nicomediæ ab Arianis, Verum hæc conciliatio ut figmentum com-

muniter rejicitur *1mo*: quia nullô antiquorum teſtimonio fulcitur. *2do*: quia falſum eſt, tunc temporis Arianos baptizatos a Catholicis rebaptizaſse; ſed tum demum tempore Wandalicæ perſecutionis à Wandalis & Hunnis Arianis id tentatum fuiſse. *3tio*: quia non eſt credibile Conſtantinum, qui Donatiſtas rebaptizantes compreſserat, ſese rebaptizari paſsum fuiſse. *4to*: pariter inveriſimile eſt Euſebium Nicomed: qui tunc adhuc se Catholicum ſimulabat, baptiſmum in Eccleſia collatum, tanquam nullum iterare auſum fuiſse.



DISSERTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.



Quærendum hic *1mo*: utrum Confirmatio sit Sacramentum? *2do* de ejus materia & forma; *3tio*: de Miniſtro; *4to*: de ſubjecto, effectibus & ritibus agendum.

AR-

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio ſit Sacramentum Novæ Legis ?

Confirmatio ſecundum varias rationes conſiderata, varia nomina ſortita eſt. Ratione materiæ dicta eſt, *Manûs impoſitio*, *unguenti Myſterium*, *Sacramentum chryſmatis & unctionis*, *chryſma ſalutis:* Ratione formæ, *ſignaculum*; ratione effectus, *perfectio*, *conſummatio*, *Sacramentum plenitudinis ;* communiter *confirmatio*, quia per illud Sacramentum, baptizati confirmantur, & roborantur in fide.

Definitur communiter: *ſignum ſenſibile, quo baptizatus à legitimo miniſtro chryſmate in fronte ungitur, ſub præſcripta verborum forma.* Ab aliis qui abſtrahunt à materia & forma, de quibus eſt controverſia inter Theologos definitur: *Sacramentum novæ legis quo baptizatîs confertur gratia firmans, & roborans ad profitendam fidem Chriſtianam.*

Novatiani si *Theodoreto* lib. 3. hæret. fabul. fides eſt, negarunt Confirmationem eſſe Sacramentum. Alii ta-

men volunt, Novatianos ſolùm neglexiſſe, at non negaſſe Confirmationem. Hunc errorem quidam tribuunt Waldenſibus, Wiklefiſtis, & Huſſitis, at neq; id certò liquet. Conſtat Lutheranos, & Calviniſtas hoc Sacramentum rejicere, illudq; enormibus blaſphemiîs impetere. In hujus impugnationem tres integros libros compoſuit Miniſter *Dallæus*. Contra quos.

Dico. Confirmatio eſt verè & proprie novæ Legis Sacramentum. *Eſt de fide definitum à Conc. Florent. in Decreto Unionis, & à Triden. ſeſs. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & ſpecialiter can. 1. de Confir.*

Prob. 1. ex S. Scriptura Act. 8. sic legitur: *Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quòd Samaria recepiſſet verbum Dei,* (per Philippum Diaconum) *miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemq; illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine JESU. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* Et cap. 19. *His auditis baptizati ſunt in nomi-*

mine JESU; *& cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus S. ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

Ex his sic arguo: Illud eſt verum & propriè dictum Sacramentum, quod eſt *1mo.* signum ſensibile. *2do.* collativum gratiæ: *3tio.* divinitùs inſtitutum: *4to.* permanens & perpetuum. Hæc enim quatuor conſtituunt verum Sacramentum; atqui manuum impositio, de qua in Actibus Apoſtolorum, eſt talis; ergo. *Prob. minor.* 1*mo*: *eſt ſignum ſenſibile*, ut patet. *2do. eſt gratiæ collativum*; conſtat enim per Spiritum, ubi agitur de effectibus Sacramentorum, intelligi gratiam ſanctificantem. *3tio*: *eſt divinitùs inſtitutum*; non enim Apoſtoli habebant poteſtatem inſtituendi signa infallibiliter gratiæ collativa; cùm id pertineat ad poteſtatem excellentiæ, quæ erat propria Chriſto. *4to*: *eſt permanens & perpetuum*; patet ex conſtanti uſu Ecclesiæ ab Apoſtolis uſq; ad nos; ergo. Huic veritati apertè ſuffragatur traditio, quamvis *Dallæus* cum ſuis contendat impoſitionem manuum, & unctionem, de quibus ſit mentio apud

an-

antiquos, esse cæremonias baptismi ab Ecclesia institutas; aut unctionem baptismalem & confirmatoriam apud veteres unam & eandem esse. Contra quem sic arguo: Patres antiqui unctionem baptismalem contradistingvunt à confirmatoria; ergo diversæ sunt. *Prob. ant.* Tertul. qui floruit II. sæculo lib. de Resur. carnis cap. 8. apertè hanc rem tradit: *Caro abluitur, ut anima emaculetur*, en baptismus. *Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur;* en confirmatio cum sua materia adæquata, scilicet unctione & manuum impositione. *Caro corpore & sangvine Christi vescitur, ut & anima de DEO saginetur;* en Eucharistia. S. Cypr. qui Martyr. occubuit anno 258. Epist. 73. ad Jubajanum loquens de impositione manuum facta à Petro & Joanne super Samaritanos baptizatos a Philippo Diacono dicit apud nos idem fieri, *quod nunc quoq;* inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem ac manûs impositionem Spiri-*

ri-

ritum S. consequantur, & *signaculô Dominicô consummentur*, quid clarius? Eodem sensu loquitur Firmilianus Epist. 75. inter Cyprianiacas. S. Ambr: de Mysteriis cap. 6. S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos Chrysost. Homil. 18. in acta Apost. August. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc ungvento*, inquit, *Sacramentum chrysmatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Non est ergo baptismus, nec cæremonia baptismi, sed Sacramentum à baptismo distinctum. S. Cyril. Jerosol. catechesi 3. quæ tota est de Confirmatione, adeo apertè loquitur, ut *Kemnitius*, Sacramentum Confirmationis appellaverit *chrysma Cyrillianum*. De aliis Patribus recensendis supersedeo, ne tædiosus sim: illos longa serie commendatos secundum ordinem temporum habes cum Hæreticorum responsis solutis apud Perfectorem Caroli Witasse Tomo I. de Confirm. Tandem ex constanti & perpetua Ecclesiæ praxi: illam autem probant omnia Ritualia antiqua tam Græca, quàm

La-

Latina, & quotquot de Officiis Ecclesiasticis ſcripſerunt. S. Greg. in Sacramentario, Ordo Rom. ante ſæculum IX. editus, Strabo, Amalarius, Alcuinus &c. atq; inde confirmatur, quod Hæretici non poſſunt aſſignare, quis primus hunc ritum Sacramentis annumeraverit; juxta enim Auguſt. regulam communiter receptam lib. 2. de Bapt. cap. 7. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſimè creditur.* Quod autem tradiderunt Apoſtoli, inquit alibi, a Chriſto acceperunt.

Objic 1. ex. Scriptura: impoſitio viſibilis manuum facta ab Apoſtolis, de qua in Actibus, non erat ſignum permanens, ſed erat privilegium ad tempus Apoſtolis datum conferendi naſcente Ecclesia, gratias gratis datas; ergò. *Ant. patet.* Quia nunc impositio manuum facta ab Epiſcopis non confert amplius dona lingvarum, prophetiæ, miraculorum, ut tempore Apoſtolorum; ergo.

Reſp. nego ant. Id enim quod nunc uſurpant Epiſcopi ad conferendam gra-

tiam roboris & fortitudinis eſſe prorſus idem, quod legimus in Actis Apoſtolorum, teſtatur Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubaj: *quod nunc quoq; apud nos geritur.* Et Aug. 15. de Trinit. dicens: *eundem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervare Eccleſiam. Ad prob. nego conſeq.* quia impoſitio manuum tunc non fiebat ſolùm ad conferendas gratias gratis datas, ſed principaliter ad conferendam gratiam ſanctificantem, quam confert adhuc modo.

Inſtabis. Spiritus S. de quo in Actis Apoſt. non erat gratia ſanctificans, ſed tantum gratiæ gratis datæ; ergo.

Prob: ant. Tum ex illo Joel. 2. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri.* Tum quia frequenter legitur in ipſis Act. quod qui accipiebant Spiritum S. lingvis loquerentur, prophetarent &c. ergo.

Reſp. nego ant. Fatemur quidem initiô naſcentis Eccleſiæ, non raró fuiſſe collatas in Confirmatione gratias gratis datas, quia erant tunc neceſſariæ ad commendationem fidei rudibus, &

pri-

primordia Ecclesiæ dilatanda, ut loquitur Aug. lib. 3. de bapt. c. 16. At negamus has ſolas, & ſemper fuiſſe collatas; non ſemper, dicit enim Apoſt. 1. Corinth. 12. *Numquid omnes loquuntur linguis.* Non ſolas? quia primario, principaliter, & univerſaliter conferebatur ritè diſpoſitis gratia ſanctificans: conferebatur namq; Spiritus S. ut loquuntur Acta, ſolæ autem gratiæ gratis datæ sine gratia ſanctificante nunquam in novo Teſtamento dicuntur ſimpliciter & abſolutè Spiritus S. quem Chriſtus promiſerat Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Hic autem Spiritus manens nobiſcum in æternum, eſt Spiritus ſanctificans, non gratiæ gratis datæ, quæ non diu durârunt, & quæ poſſunt reperiri in peccatoribus, in quibus Spiritus S. non manet Math. 7.

Inſtabis: Samaritani jam receperant à Philippo gratiam ſanctificantem; ergò Spiritus S. ſeu gratia, quam receperunt per manus Apoſtolorum, non erat gratia ſanctificans, ſed gratis data.

Reſp.

Resp. dist.ant. Samaritani jam receperant à Philippo gratiam ſanctificantem regenerativam, *conc.* roborativam & confirmativam, *nego.*

Instabis: Adventus Spiritûs S. in Samaritanos exprimitur in Scriptura voce Græca, quæ ſignificat: *ſupercado, irruo,* ideoq; deſcenſum violentum, & vehementem, quo exprimitur in Scripturis donatio Spiritûs prophetici, non donatio Spiritûs ſanctificantis, qui eſt lenis & ſvavis; ergo.

Reſp. 1. Hac voce Græca, juxta lingvæ peritos non ſolum ſignificari, *irruere,* ſed etiam *illabi*. Primum convenit dono prophetiæ, ſecundum Spiritui ſanctificanti. 2. Falſum eſt, hac eadem voce in Scripturis non ſignificari donum gratiæ ſanctificantis; ea enim adhibetur Act. 10. & 11. ubi agitur de dono gratiæ ſanctificantis. Et S. Lucas Act. 2. dicit de deſcenſu Spiritûs S. in die Pentecoſtes: *Factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis.* Ubi tamen Apoſtoli receperunt, non ſolum gratias gratis datas, ſed etiam augmentum gratiæ ſanctificantis, cum ſeptem donis Spiritûs S.

Ob-

Objic. 2. plura leviora: *1mo:* Huic ritui, inquit *Calvinus*, nulla eſt in Scripturis annexa gratiæ promiſſio. *2do:* Flatus, quo Dominus diſcipulos afflavit, non fuit Sacramentum; ergo nec manuum impoſitio per Apoſtolos. *3tio:* In his Scripturæ locis, inquit *Kemnitius*, nullum ſentitur oleum, nullum odoratur balsamum, & verbum deest; quod tamen requiritur ut forma Sacramenti.

Resp. ad 1mum: Gratiæ promiſſionem conſtare ipſo factô Apoſtolorum, qui illam per manuum impoſitionem conferebant. Sed & habetur facta præviè promiſſio Joan 14. & 15. Act. 18. & alibi, *Ad 2dum: nego conſeq.* Quia Sacramentum debet eſſe signum permanens & perpetuum. Hic autem flatus, neq; ab Apoſtolis, neq: ab eorum Succeſſoribus fuit obſervatus, ſecus impoſitio manuum. *3tium:* tangit materiam & formam hujus Sacramenti, de quibus diſputant Theologi. Sed quamvis diſſentiant, in aſſignanda materia & forma, quia id, quoad aliqua non pertinent ad fidem, conveniunt tamen omnes, eſſe aliquam determinatam, ideoq; eſ-

esse verum & propriè dictum Sacramentum, quod est fidei dogma.

Insuper Chrysma semper fuit adhibitum, aut in eo fuit divinitus dispensatum propter multitudinem confirmandorum, & paucitatem confirmantium. Etiam verba adhibita fuisse, constat Act. 8. ubi Apostoli cum manuum impositione, invocabant Spriritum S. verbo & oratione.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia Confirmationis?

Chrysma græcè, idem ac latinè *unguentum*, ut usu Ecclesiastico est mixtum ex oleo & balsamo. Manûs impositio est duplex in confirmatione juxta Pontificale Clementis VIII. una prævia ad Unctionem, dùm Episcopus manu extensa versus confirmandos orat, ut descendat in eos Spiritus S. altera, qua Episcopus frontem confirmandi pollice, chrysmate tincto, tangit, reliqua manu, saltem ut fit a plerisq; super caput ejus extensâ.

Specialem quæstionem non instituo, de materia remota confirmationis, quia

si

si probetur unctionem chryſmatis eſſe ejus materiam proximam, ſatis conſtabit chryſma eſſe materiam remotam, eſt enim materia proxima materiæ remotæ applicatio.

Dico. Materia eſſentialis adæquata Sacramenti confirmationis eſt conjunctivè unctio chryſmatis, & manus impoſitio, ab ipſa unctione indiſtincta, ſalvâ tamen probabilitate ſenſûs disjunctivi.

Prob. Conſtans & perpetua eſt in Eccleſia traditio, chryſmationem & manûs impoſitionem ſemper adhibitas fuiſſe in confirmatione, iiſq; vim ineſſe conferrendi Spiritum S. ſeu gratiam roborantem; ergò. De chryſmatione conſtat ex omnibus ſummis Pontificibus, Conciliis & Patribus; hi enim omnes, paucîs exceptîs meminerunt vel chryſmatis, vel unguenti, vel unctionis, vel ſignaculi, eiq; vim gratiam conferendi, tribuunt. Hac traditione innixa Synodus Florent. in Decreto Unionis definit materiam hujus Sacramenti eſſe *chrysma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo,*

quod

quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto. Et Trid, ſeſs. 7. can. 2. de Confirm. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui S. eos, qui ſacro confirmationis chrysmati, virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.* Ubi ſupponit Chryſmationem eſſe materiam hujus Sacramenti. De manûs impoſitione conſtat ex Actis Apoſt. ex Concil. Eliberitano, Tertul. Cypr. Hieron. Auguſt. Plura alia adferri poſſent momenta tàm ex Græcis, quàm ex Latinis; ſed cùm non requiramus aliam impoſitionem manûs, quàm quæ fit per ipſam chryſmationem, ſupervacanea videntur; probata enim chryſmatione simul probatur iſta manûs impoſitio. Hanc autem traditionem intelligendam eſſe de chryſmatione & impoſitione manuum conjunctivè tanquam de materiis partialibus unam totalem ſimul integrantibus, non verò disjunctivè, conceſsâ a Chriſto Eccleſiæ facultate, quam vellet aſſumendi, inde colligimus 1mo: Quod hujuſce facultatis a Chriſto conceſſæ nullum extet veſtigium in ſcriptura vel traditione, ſine quibus tamen nihil circa eſſentialia Sacra-

cramentorum, quæ à sola voluntate Christi pendent, debet affirmari. 2dò: Quod quidam Patres utramq; simul videantur requirere, Tertull: de Resur. carnis cap. 8. *Caro ungitur*, inquit, *ut anima consecretur - - - caro manûs impositione adumbratur ut & anima spiritu illuminetur.* Cyprianus Epist. ad Jubaj. & plures alii Scriptores. Maneat tamen alterius sententiæ probabilitas, quæ fortè poterit explicari & defendi eo ferme modô, quo, explicatur & defenditur determinationem specificam formæ ejusdem Sacramenti, & materiæ Ordinis, esse libertati relictam.

Item hanc traditionem esse intelligendam de manûs impositione indistincta a chrysmatione.

1*mo:* Quia Episcopi admittunt ad confirmationem eos, qui erant absentes, dum facerent manûs impositionem præviam ad chrysmationem, quæ consistit in extensione manuum versus confirmandos. Neq; dici potest cum *Honorato* Tournely esse *abusum corrigendum*, nisi culpando plures doctissimos & pientissimos Antistites, qui hanc praxim servant. 2*do.*

2do: Quia Græci nullam aliam manûs impositionem adhibent, quam eam quæ chryſmationi eſt annexa, ut patet ex eorum Euchologiis veteribus & recentioribus editis à noſtro *Goar*, & tamen exiſtere apud Græcos verum Sacramentum Confirmationis agnoſcit Eccleſia.

Petes 1. Utrum balſamum ſit neceſſariò permiſcendum oleo?

Reſp. Probabilius eſt balſamum eſſe neceſſario permiſcendum oleo neceſſitate Sacramenti. *Ratio eſt:* ex Concil: Florent: in Decreto Unionis ſic definiente: *Secundum Sacramentum eſt confirmatio, cujus materia eſt chryſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum, benedicto.* Materia autem Sacramenti, eſt ipſi eſſentialis, & ſine ea non ſubſiſtit; ergo.

Petes 2. Utrum ſit de neceſſitate Sacramenti, quod chryſma ſit ab Epiſcopo benedictum?

Reſp. Probabile eſt eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod chryſma ſit ab Epiſcopo conſecratum ita, ut ſimplex Sa-

cerdos non possit etiam ex dispensatione Pontificia illud validé consecrare. *Ratio est*: ex constanti & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ constat ex S. *Dionysio* de Eccles. Hierar. ex *Innocentio* I. ad Decentium. *Conc. Carthag*. II. can. 3. *Hispal*. II. can. 7. *Tolet*. I. can. 20. *Braccarensi* I. can. 37. *Tertull*. de Bapt. *Cypr*. Epist. 70. *Optato* lib. 7. *Cyril*. Catechesi 3. S. *Leon*. Episc. ad Episcopos German. & Galliæ: Ex Sacramentario S. *Gregor*. Ordine Rom. Pontificali & omnibus Ritualibus, qui omnes tradunt benedictionem chrysmatis solis Episcopis licere; quòd cùm aliter factum nusquam certè legatur, probabile est, id esse de necessitate Sacramenti. Adde *Clementem* VI. in literis ad Patriarcham Armenorum apud Raynaldum ad an. 1351. in quibus inter plura sic interrogat. *Primo de consecratione chrysmatis, si credis quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrysma ritè & debitè consecrari.*

Petes 3. Quæ sit forma confirmationis?

Diversitas opinionum circa formam

Con-

Confirmationis, sequitur ex diversitate opinionum circa ejus materiam. Qui reponunt materiam adæquatam confirmationis in impositione manuum, quæ sita est, in extensione manuum versus confirmandos, orando, ut in eos descendat Spiritus S. non aliam formam agnoscunt, quam orationem: *Omnipotens sempiterne Deus &c.* quæ hanc manuum extensionem comitatur. Verba autem, quæ profert confirmans ungendo, dicunt esse tantum formam accidentalem: ita *Sirmondus*, *Sambovius*, *Juenin &c.*

Qui hanc præviam manuum impositionem existimant esse tantum materiam inadæquatam & simul cum unctione constituere totalem materiam confirmationis, etiam dicunt orationem, quæ comitatur istam manuum impositionem, esse formam partialem, & constituere totalem simul cum verbis quæ proferuntur in unctione; scilicet *signo te signo crucis &c.* Ita *Natal:* Alexan: Card: *Gotti*, *Tournely &c.*

Qui tandem materiam totalem Confirmationis reponunt in unctione & manuum impositione ab unctione indistin-

cta, hi formam adæquatam conſtituunt in verbis prolatis ungendo, ſcilicet ſecundum latinos *ſigno te ſignô crucis &c.* ſecundum græcos, *ſignaculum doni Spiritûs S.* Ita cum S. *Thoma* tàm veteres quàm recentiores.

Reſp: 1. Oratio prævia ad unctionem non eſt forma ſive totalis, ſive partialis Sacramenti Confirmationis. *Ratio eſt:* quia admittuntur ad confirmationem, qui abſentes erant, dum pronuntiaretur hæc oratio, cum manuum impoſitione; ergo.

Reſp: 2. Forma legitima Sacramenti Confirmationis apud Latinos eſt hæc: *ſigno,* ſeu, *conſigno te ſignô crucis, & confirmo te chryſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ratio eſt* ex Decreto Florentino, in quo forma hujus Sacramenti iisdem omnino verbis exprimitur.

Reſp: 3. Formula legitima Confirmationis apud Græcos eſt hæc: *Signaculum doni ſeu donationis Spiritûs S. Ratio.* Quoties actum eſt de unione Græcorum cum Latinis, & de materiis inter ipſos controverſis, nunquam Latini objecerunt Græcis nullitatem ſuæ formæ, quamvis

Mar-

Marcus Ephef. in Conc: Florent: expofuiffet Græcos confirmare fub hac forma. Immo congregatio Cardinalium ab *Urbano* VIII. ad examen Ritualis Græcorum deputata, circa materiam & formam Confirmationis nihil innovandum cenfuit, ideoq; recufum ex hoc capite integrum.

ARTICULUS III.
De Miniftro Confirmationis.

Quidam Presbyteri Ecclefiæ Eugubinæ Sæc: V. jus conferendi Sacramentum Confirmationis quafi poteftate ordinaria ufurpabant: fimiliter fequ: fæculo Presbyteri Ecclefiæ Calaritanæ. Primos repreffit Innocentius I. Ep: ad Decentium, pofteriores Gregor. M. Epift: ad Januarium. Sæc: IX. *Photius* Pfeudopatriarcha CPolit: Græcorum Schifmaticorum Dux, cum fuis Sectariis pariter contendit, Presbyteros effe Miniftros ordinarios Confirmationis. In eos infurrexit *Nicolaus* I. Bulgarofq; à Sacerdotibus Photianis confirmatos, iterum confirmari juffit. Hoc *Nicolai* factum inter alia accufationum capita, quibus Ecclefiam Romanam profcin-

ſcindit *Photius* in Epiſtola encyclica, ad omnes orientales Epiſcopos recenſet, & graviter reprehendit.

Eodem in Eccleſiam Rom: odiô perciti Valdenſes, Wikleſiſtæ, Huſſitæ, Lutherani, Calviniſtæ errorem Photii ſecuti ſunt. Contra quos.

Dico 1. Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Confirmationis.

Prob: ex Concil: Florent: in Decr: unionis his verbis: *Confirmationis Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus, & cùm cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre.* Et Conc: Trid: ſeſs: 7. can: 3. de Conf: *Si quis dixerit ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Idem ſeſs: 23. can. 7. & cap: 4. ubi principium erroris convellens, definit, Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, & ideo eos præ cæteris, habere poteſtatem confirmandi & ordinandi.

Dico 2. Simplex Sacerdos ex diſpenſatione ſeu commiſſione legitima eſſe poteſt miniſter extraordinarius Confirmationis.

Prob:

Prob: ex Conc: Flor; in Decreto Unionis, ubi poſtquam dixit quod hujus Sacramenti *Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus* idq; ex act: 8 probavit, ſubdit; *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chryſmate per Epiſcopum benedicto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.*

ARTICULUS IV.

De ſubjecto effectibus, & ritibus Confirmationis.

Dico 1. Omnis homo baptizatus ſive adultus, ſive infans, eſt capax Confirmationis.

Prob. Per hoc Sacramentum homo promovetur in ætatem perfectam ſpiritualem; atqui anima ad quam pertinet Spiritualis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, eſt immortalis; & ſicut poteſt tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita poteſt tempore juventutis & infantiæ conſequi perfectam ætatem Spiritualem, quia hujuſmodi corporales ætates animæ non præjudicant; ergo. Unde Eccleſia XII. primis ſæculis,

lis, etiam infantibus Confirmationem statim post baptismum administravit. Verùm quamvis hæc antiqua consuetudo suas haberet rationes, nec sit improbanda; justis tamen de causis Ecclesia illam mutavit, censuitq; in variis Synodis, non esse conferendum hoc Sacramentum; nisi iis, qui annos discretionis attigerint, hoc est annô ætatis 7. 1. ob periculum iterationis. 2. ut cum majori reverentia & fructu suscipiatur. 3. quia cùm sit secunda fidei professio, convenit, ut qui primam per alios fecerunt, secundam per se faciant.

Gratiam sanctificantem esse communem effectum omnium Sacramentorum ostendimus Tract: de Sacram: in communi Dissert: 1. quodlibet Sacramentum addere aliquem modum seu vigorem, cum jure ad auxilia specialia pro actibus sibi propriis eliciendis, diximus supra. Specialis itaq; effectus Confirmationis est augmentum gratiæ, quo, homo roboratur ad profitendam fidem, & acquirit jus ad auxilia specialia pro illa professione constanter peragenda.

Dico,

Dico 2. Alter effectus Confirmationis eſt character indelebiliter animæ impreſſus.

Prob: Præter Concil: Florent: in Decreto Unionis & Trid: ſeſs. 7. can. 9. ubi ita definitum eſt; laudatur illud Apoſt. 2. Cor: 1. *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Item Auctor Conſtit: Apoſt: lib. 3. cap. 16. Tertul: de præſcript: cap: 40. Cornelius Papa Epiſt: ad Fabium. S. Cypr: Epiſt: 73. ad Jubajan. Innocent. I. Epiſt: ad Decent: S. Ambr: lib: 3 de Sacram: c. 2. S. Auguſt: lib: 3. contra Lit: Petil: Gregor: II. Epiſt: 13. ad Bonif. Concil. Tolet. VIII. anno 653 cap. 7. & Cabilonenſe II. anno 813. can. 27.

De ritibus obſervandis circa confectionem chryſmatis, unctionem in fronte & diſpoſitiones confirmandorum jam dixi; reſtat breviter dicendum de patrinis, alapa, & vittis ſeu faſciolis.

I. Patrinos eſſe aſſumendos in confirmatione teſtatur antiqua Eccleſiæ praxis, cujus mentio fit in Sacramentario S. Greg: in Ord: Rom. cap. *in Catechiſmo*, cap: *non plures* & cap: *in baptiſmate.* Ratio

tio hujus cæremoniæ eſt, quia hoc Sacramentum datur ad robur pugnæ Spiritualis; illi autem, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis.

Aſſumendi ſunt ad hoc officium baptizati & confirmati, mares pro maribus, fæminæ pro fæminis, debent ſcire adminus orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum; excluduntur Pater & Mater confirmandi propter ſpiritualem cognationem, quam ſuſcipiens contraheret cum comparte; Junior non debet ſuſcipere ſeniorem. Si quis non confirmatus alium ſuſcipiat, peccat, incurrit tamen cognationem, cujus eſt capax ratione baptiſmi, & onus officii ſuſcepti, quod eſt, filiolum exemplô & doctrina inſtruere ad pugnam contra fidei hoſtes. In quibusdam Diœceſibus non aſſumuntur amplius Patrini.

II. Statim ac Epiſcopus formam Sacramenti pronunciavit levem alapam infligit in maxillam confirmati; tum ut meminerit ſe eſſe confirmatum; tum maximè

ximè ut agnofcat, inquit *Catech: Rom:* p. 2. § 20. fe tanquam fortem athletam paratùm effe oportere ad omnia adverfa invictô animô pro Chrifti nomine ferenda. Deinde pax ei datur, ut intelligat fe gratiæ cæleftis plenitudinem & pacem, quæ exfuperat omnem fenfum, confecutum fuiffe. Tempus inftitutionis hujus ritus, incertum eft; fertur tamen in manufcripto Vaticano annorum 400. & in altero Bibliothecæ Angelicæ annorum 500. mentionem de illo haberi.

III. Vittâ feu fafciolâ lineâ frons confirmati circumligatur, ne chryfma defluat & profanationi pateat. Manebat olim frons confirmati circumligata feptem diebus, poftea tribus, deinde 24. horis; tandem in pluribus diæcefibus omiffâ fafciolâ, ftatim abftergitur frons confirmati. Ubi verò adhuc fervatur ufus fafciolæ, debet tolli, & chryfma abftergi à Sacerdote, deinde fafciola comburenda, & cineres in Ecclefia, vel atrio abfcondi; quodfi in ufum Ecclefiæ deputetur (nunquam enim in prophanum ufum poteft transferri) debet prius lavari fale & aqua in Sacrarium fundenda. Hi

omnes

omnes ritus ex variis Synodis ſunt collecti.



DISSERTATIO IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Variis nominibus convenienter inſignitur hoc Sacramentum ſecundum varias ejus ſignificationes, *1mo*: Habet ſignificationem reſpectu præteriti, inquantum eſt rememorativum Dominicæ paſſionis, quæ fuit verum Sacrificium & ſecundum hoc nominatur: *Sacrificium*. Aliam habet ſignificationem reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ unitatis, quatenus per illud ſpecialiter communicamur Chriſto, & unimur ad invicem juxta illud 1. Corint: 10. *Unus panis & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus*; & ſecundum hoc nominatur *Communio* & *Synaxis*. *Tertiam* habet ſignificationem reſpectu futuri, inquantum eſt præfigurati-

rativum fruitionis Dei, quæ erit in patria, & ſecundum hoc dicitur *viaticum*, quia hic nobis præbet viam illuc perveniendi. Propter eandem rationem nominatur *Euchariſtia*, id eſt, bona gratia, tum quia *gratia Dei vita æterna*, tum quia continet Chriſtum, qui eſt fons gratiæ. Quidam intelligunt etiam per Euchariſtiam gratiarum actionem, quia Chriſtus in ejus inſtitutione gratias egit, & offertur in gratiarum actionem; undè Sacerdos dicit: *quid retribuam Domino* &c.

Sunt & alia hujus Sacramenti nomina, ſive ratione materiæ, ſive ratione effectus, ſive ratione rei contentæ. Ratione materiæ dicitur: *Panis vitæ, panis qui de cælo deſcendit, panis Angelorum, panis ſuperſubſtantialis.* Ratione effectus dicitur: *Sacramentum gratiæ, gratia ſalutaris*, Ratione rei contentæ dicitur, *corpus Chriſti, corpus Dominicum* &c. Item dicitur: *Menſa Domini, ſacrum convivium*, quia eſt inſtitutum per modum convivii ſpiritualis animæ. Dicitur *cæna Dominica*, quia fuit inſtitutum in noviſſima cæna. Volunt tamen quidam hoc nomine parcè utendum; quia illo abutuntur Hæreti-

retici, ut ſvadeant hoc Sacramentum conſiſtere in uſu ſeu actu cænandi, nec ad ejus ſumptionem requiri jejunium. Item dicitur *Eulogia*, id eſt, benedictio: verum hoc nomen etiam tribuebatur pani benedicto, qui loco Euchariſtiæ diſtribuebatur iis, qui ex cauſa legitimá & inculpabili abſtinebant á Communione. Dictum eſt aliquando *Agapa*, id eſt dilectio: Agapæ autem erant conventus convivales, qui fiebant in Eccleſia, ut foveretur mutua inter Chriſtianos dilectio, atq; inde juvarentur pauperes: & quia hæc convivia præcedebat Euchariſtiæ celebratio, ideo nomen Agapæ illi tributum eſt, cum ſit aliunde ſummæ Dei dilectionis argumentum & fraternæ charitatis ſymbolum.

Euchariſtia phyſice conſiderata prout conſtat ex materia & forma definiri poteſt: *ſpecies, panis, & vini conſecratæ ſub præſcripta verborum forma, continentes verum corpus & ſanguinem Chriſti ad cauſandam gratiam cibantem animam.* Metaphyſice ſumpta prout conſtat genere & differentia definitur: *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ad ſpiritualem animæ refe-*

refectionem institutum. Vel *signum sensibile corporis & sanguinis Domini realiter sub ipso contenti, ad producendam gratiam spiritualiter nutrientem.*

ARTICULUS I.

Utrum corpus & sangvis Christi sit substantialiter in Eucharistiæ?

§ I.

De variis erroribus circa veritatem Eucharistiæ.

1mo: Primi hunc fidei articulum impugnarunt *Capharnaitæ*, & quidam Christi Discipuli, ut patet Joan: *6.* ubi legitur eos non potuisse capere promissionem Christi, de danda carne sua in cibum, & sangvine suo in potum, *durus est hic sermo*, inquiebant, & scandalô inde acceptô abierunt retro. Hos secuti sunt *Simoniani*, *Menandriani*, *Manichæi* & omnes illi Hæretici, qui negantes Verbum assumpsisse verum corpus, consequenter negabant, illud esse verum in Eucharistia, de quibus S. Ignatius Epist: ad Smyrnenses; sed hi ut patet, indirectè tantum impetebant veritatem hujus Sacramenti.

2do:

2do: Joannes *Scotus Erigena* dictus, qui circa annum 883. obiit, suspectæ fidei habitus est circa præsentiam realem in libro, quem conscripsit de *corpore Christi*, qui ideo proscriptus est, postea in Concilio Vercellensi anno 1053. eô potissimum utebatur *Berengarius* in sui erroris defensionem.

3tio: Berengarius Turonibus natus Andegavensis Archi-Diaconus anno 1047. primus in Ecclesia palam negavit præsentiam realem Christi in Eucharistia, contenditq; omnia in signis & figuris consistere. Unde à S. *Thoma* & aliis primus hujus hæresis Author dicitur, Sacramentariorumq; parens. Primum damnata est hæresis Berengarii in Conc: Rom: deinde in Vercellensi sub Leone IX. anno 1053. & liber Joannis Scoti, quô maximè utebatur Berengarius, proscriptus. Rursus damnata fuit hæc hæresis in Concil: Florent: sub Victore II. anno 1055. in Turonensi eodem annô. In Romano sub Nicolaô II. annô 1059. In Rothomagensi anno 1063. in Pictaviensi 1075. in Romanis duobus sub Gregorio VII. anno 1078. & 1079.

Beren-

Berengarianam hæresim scriptîs impugnârunt viri doctissimi Aldemmanus, Hugo Lingonensis Episcopus, Lantfrancus, Durandus Troarnensis Abbas, Gvitmundus, & Algerus. Berengarius in Synodo Rom: sub Nicolao II. damnatus, errorem suum edita fidei formula ejuravit; sed velut canis ad vomitum reversus, veritatem Catholicam iterum impugnavit, donec in altera Synodo Rom: a Gregorio VII. coacta, iteratò damnatus, veniam petiit, ac veritatem Catholicam sequenti fidei formulâ professus est. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem carnem, & Sangvinem JESU Christi Domini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de virgine, & quod pro salute mundi oblatum in Cruce pependit; & quod sedet ad dexteram Patris; & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ: sicut*

in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo.

Aliquamdiu poſt abſolutam Synodum S. Pontifex Berengarium remiſit ad patrios Lares cum literis commendatitiis, ne quis vel in bonis, vel in honore ipſi eſſet nocumento. Utrum tamen hanc ultimam fidei profeſſionem ſincerô animô fecerit Hæreſiarcha, aut eam ſincerè factam non abjecerit, non ſatis conſtat, ſiquidem habetur ex chronico Malleacenſi; coactum fuiſſe Concilium Burdigalenſe annô 1080. *in quo Berengarius reddidit rationem fidei ſuæ.* Ut quid autem iſta fidei ratio reddita, ſi Berengarius ſincerè fidem profeſſus fuiſſet, aut in ea conſtanter manſiſſet. Inſuper P. *Mabillonius* profert manuſcriptum codicem, in quo refertur ſcriptum Berengarii, quo tertiam fidei profeſſionem reſcindit, & ad ejus ſubſcriptionem metu ſupplicii ſe coactum teſtatur. Cæterum utut ſit de ejus vel ſinceritate vel conſtantia in profitenda fide Catholica, videtur ſaltem certum eum objiſſe Catholicum & pænitentem anno 1088. quidquid in con-

trari-

trarium dicant Scriptores Calviniani. Id teſtatur *Clarius* Floriacenſis Monachus in Chronico S. Petri Vivi ineunte ſæc: XII. *Vilhelmus* Malmesburienſis lib: 3. de geſtis Regum Anglorum. *Hildebertus* Epiſcopus Cænomanenſis in Epitaphio de eodem Bereng: apud citatum Vilhelmum. S. *Antoninus* Chronici p. 2. tit: 16. § 20. *Vincentius* Bellov: in ſpeculo hiſt: lib: 25. c. 30. *Martinus* Polonus in Henrico II. *Philippus* Jacobus Bergom: in Supplem: Chronicorum lib: 12. Tandem & quod maxime probat in manuſcripto B. Martini Turonen: Berengarii obitus his verbîs legitur: *Objit magiſter Berengarius grammaticus, fidelis & veré Catholicus anno Domini 1088. Philippi primi Francorum Regis anno 28. Urbani Papæ anno 4.* Et Canonici ejuſdem Eccleſiæ quotannis feria 3. Paſchæ, ad ejus tumulum, qui in clauſtro S. Coſmæ viſitur, conveniunt canentes Pſalmum: *de profundis clamavi*, in ejus animæ requiem.

4to: Circa annum 1126. *Petrus* de Bruis, á quo Petro-Bruſſiani, inter varios errores, quos in Provincia Arelatenſi

disseminavit, inficiatus est, quod licet Christus panem in corpus suum in ultima cæna converterit, id facerent Apostoli & eorum successores. Adversus hunc Hæreticum insurrexit Petrus Cluniacensis. Ejus verò discipulum primarium Henricum, unde & Henriciani, qui post 20. annos magistri hæresim propugnavit, S. Bernardus scriptis, sermonibus, & miraculis confudit.

5to: Circa annum 1176. Waldensium seu Pauperum de Lugduno, qui etiam dicti sunt Albigenses, & Lollardi a Lollardo famoso Waldi discipulo, quidam transubstantiationem, quidam corporis Christi veritatem negarunt. Hos S. *Dominicus* partim Principum Christianorum copiis profligavit, partim prædicatione & miraculis convertit.

6to: Circa annum 1312. *Wiklef* Anglus substantiam panis & vini remanere in Eucharistia, nec accidentia manere sine subjecto affirmavit; Christum verò realiter adesse negavit, ut constat ex Concil: Constant: sess: 8. *Joannes Hus* licet contra Eucharistiam nihil scripserit, deq; eo Mysterio Hæreticorum mo-

re

re dubitanter locutus fuerit, patet tamen ex feſſ: 13. ejuſdem Concilii, & ex proceſſibus contra illum factis, ipſum *Wiklèfi* errores ſecutum fuiſſe.

7mo: Circa initium ſæculi XVI. Martinus *Lutherus* cùm non poſſet negare realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia, ob evidentia Scripturæ teſtimonia, ut ipſe fatetur epiſt: ad Argentinenſes, impanationem ſuſtinuit. At ejus Diſcipulus *Carolſtadius* tentavit, quod magiſtro impoſſibile viſum fuerat, fuitq; primus inter hujus ſæculi ſectarios, qui Berengarianum dogma de ſola Chriſti figura in Euchariſtia recudit anno 1525. Huic ſuccinit *Zwinglius Helvetius* eodem annô, edito librô *De vera & falſa religione*. Zwinglio adhæſit Joannes *Oecolampadius;* utrumq; poſtea ſecuti ſunt *Bullingerius, Bernardus* Ochinus, *Petrus* Martyr, & deinde dicti *Sacramentarii*.

Anno 1530. *Bucerus* Pſeudo-Evangelii Miniſter primarius apud Argentinenſes, Zwinglii virus ipſis propinavit, multô tamen fucô temperatum, ne Lutheranis diſpliceret. Hujus *Calvinus* adhuc junior fuit auditor, ex quo & doctri-

nam

nam & modum loquendi ambiguum & fubobfcurum haufit, non fic tamen quin ejus mens erronea appareret, fatifq; evidenter inculcaret, Euchariftiam effe duntaxat fignum & figuram Corporis & fangvinis Chrifti, nec Chriftum ibi effe præfentem, nifi per fidem & fecundum virtutem. Quamvis enim lib: 4. Inftit: cap: 17. § 5. dicat: Chriftum jubere nos fub fymbolis panis & vini fumere ejus corpus & fangvinem, & § 7. non poffe ingeniô comprehendi, fed folâ fide, quomodo res, quæ tantúm diftant, poffint conjungi, & alibi fimilia fub fuco effutiat: Attamen locô citato claris verbîs mentem fuam hæreticam aperit, dum dicit: *Ingenue confiteor mixturam carnis Chrifti cum anima noftra, vel transfufionem, qualis ab ipfis docetur, me repudiare; quia nobis fufficit Chriftum è carnis fubftantia vitam in animas noftras infpirare, imo propriam vitam in nos diffundere, quamvis in nos non ingrediatur caro Chrifti.* Item ibidem: *Interim verò hanc* (Chrifti communicationem) *non aliam effe, quam fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi poffit.* Subdolum magiftrorum fuorum

Cal-

Calvini, Buceri &c. genium aliquamdiu retinuêre Calviniſtæ Galli; at modo palam & obſtinatè errorem profitentur. Sociniani cum Calviniſtis contendunt, Chriſtum non eſſe corporaliter præſentem in Euchariſtia. Unde Verbum *eſt*, ſumunt pro *ſignificat*; ſed negant contra eoſdem hoc Sacramentum eſſe ſigillum ſeu figuram efficacem gratiæ. His Hæreticis multi annumerant Stercoraniſtas, circa ſæculum IX. qui cum arbitrarentur corpus Chriſti in hoc Sacramento eſſe corruptibile, dicebant: in ſeceſſum non ſècus ac alios cibos communes abire, at non omnino certò extitiſſe hanc hæreſim, conatur probare noviſſimus Scriptor Laurentius *Berti* lib: 33. cap: 11. vide, ſi lubet.

§ II.

Aſſeritur dogma Catholicum de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia?

Dico: In almo Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem Dominus noſter JESUS Chriſtus verus DEUS atq; homo, verè, realiter, ac ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum

rerum

rerum ſenſibilium continetur. *Sunt verba Concilii Trid: Seſſ: 13. c. 1.*

Explicatur. Dicitur: *panis & vini conſecrationem*, contra *Ubiquiſtas* de grege Lutheranorum, qui volunt, corpus Chriſti eſſe ubiq; ideoq; etiam in hoſtia ante conſecrationem. Dicitur: *verè*, non figuraliter contra omnes Sacramentarios, qui dicunt Chriſtum adeſſe duntaxat in ſigno & figura. Dicitur: *realiter*, non objectivè tantùm contra Calvinum, qui contendit Chriſtum adeſſe tantùm, ſecundum quod fide apprehenditur. Dicitur: *ſubſtantialiter*, non accidentaliter contra Calviniſtas, qui dicunt ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe in cælo tantûm, in cæna verò ſecundum quandam ejus virtutem. Veritatem hanc, quam tot machinîs concutere conati ſunt Hæretici, momentîs invictiſſimîs ſtabiliendam ſuſcipimus.

Prob: 1. ex Scriptura. Chriſtus Joan: 6. promittit ſe daturum ſuam carnem in cibum, & ſuum ſangvinem in potum his verbîs: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Judæî ad invicem dicentes: quomodo poteſt hic, nobis*

carnem

carnem ſuam dare ad manducandum? Dixit ergo eis JESUS: amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis - - - Caro enim mea verè eſt cibus, & ſangvis meus verè eſt potus - - - Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum: hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex Diſcipulis ejus dixerunt; durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem JESUS apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc Diſcipuli ejus, dixit eis: hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt - - - ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retró, & jam non cum illo ambulabant.

Ex toto illo contextu ſic formo argumentum; Chriſtus hoc loco promittit dare carnem ſuam, non ſpiritualiter tantum per fidem, neq; in ſigno, ut contendunt hæretici, ſed verè & realiter man-

ducan-

ducandam, & ſangvinem ſuum verè & realiter bibendum; atqui quod tam ſolemniter promiſit indubie adimplevit; fidelis enim eſt DEUS in ſuis promiſſis, nec falli aut fallere poteſt; ergò. Tota difficultas eſt in majori: contendunt enim Hæretici ibi ſermonem eſſe non de reali manducatione, ſed ſpirituali per fidem. Pro quo obſervandum eſt, nos non contendere in toto hoc capite 6. Joan: agi de ſola Euchariſtia: triplex enim in eo poteſt pars diſtingvi; in prima uſq; ad verſum 25. agitur de cibo materiali, ſeu multiplicatione quinq; panum; in ſecunda uſq; ad verſum 52. agitur de cibo mere ſpirituali, nempe de fide in Chriſtum incarnatum; in tertia a verſu 52. ad finem de reali manducatione carnis Chriſti; hôc notatô. *Prob: 1. maj:* Chriſtus loquitur in futuro dum ait: *panis quem ego dabo;* atqui ſi intelligeret de ſpirituali manducatione per fidem, & non de reali, non loqueretur in futuro; manducatio enim ſpiritualis per fidem eſt omnium temporum- *2do:* Capharnaitæ & quidam Diſcipulorum, quos alloquebatur Chriſtus, intelligebant verba

ba ejus non figuratè & metaphoricè, ſed de vera & reali manducatione carnis; ſcandalum enim in his patiebantur; nec poterant capere, quomodo Chriſtus poſſet dare illis carnem ſuam ad manducandum, & indè dicebant durum eſſe ejus ſermonem. Porrò ſi non intellexiſſent de reali, ſed ſpirituali tantùm manducatione, nulla erat cauſa ſcandali; facilè enim concepiſſent, quomodo illis daret carnem ſuam ad manducandum ſpiritualiter, nec apparuiſſet illis durus iſte ſermo; atqui in hoc non errabant, quod intelligerent de reali manducatione ſiquidem Chriſtus non tantum non correxit iſtam eorum intelligentiam, prout abſq; dubio feciſſet, ſi in hoc errâſſent; quin ècontra juramentô, & ſuæ Aſcenſionis miraculô firmavit; in hoc ergo duntaxat errabant, quod, cùm nihil ſuſpicarentur, de inviſibili & Sacramentali continentia corporis Chriſti in hoc Sacramento, putaverint carnem Chriſti manducandam viſibili modo in propria ſpecie, quemadmodum carnes communes manducantur; quam erroneam intelligentiam correxit Chriſtus dicendo:

Spi-

Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam &c. *3tio*: Christus sæpius distingvit, inter carnem & sangvinem, inter cibum & potum; atqui Spiritualis manducatio non eget ista distinctione; in perceptione enim Christi per fidem idem est manducare, & bibere. *4to*: Christus promittit donum præstantius mannâ, ut patet in his verbis: *non sicut manducaverunt Patres vestri manna*; atqui panis in ratione signi seu figuræ corporis Christi, non est quid præstantius mannâ, nec minus in manna quam in pane Christus fide percipitur, ergo. *5to*: Eodem sensu ac nos Christi verba intellexerunt Concil: Ephes: in approbatione epist: S. Cyrilli ad Nestorium. Nicænum II. Act: 6. Cyrillus Alex: Chrysost: August: Theophilactus, Eutymius, Rupertus, S. Thomas, hi omnes in Commentariis in Joan:

Prob: 2. *ex verbis institutionis*. Matth: 26. legitur: *Cœnantibus autem eis* (Apostolis) *accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit deditq; Discipuli suis, & ait, accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit*

illis

illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſangvis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marci 14. *Et manducantibus illis accepit JESUS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: ſumite hoc eſt corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic eſt ſangvis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22. *Et accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis dicens: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt calix novum Teſtamentum in ſangvine meo, qui pro vobis fundetur.*

Hæc verba ſole clariora ad tropos & figuras detorquent Sacramentarii; ea autem eſſe intelligenda in ſenſu proprio & literali probare nobis incumbit. *Prob: 1.* Chriſtus his verbis Teſtamentum condebat, ita exprimunt laudata verba trium Evangeliſtarum. *2do:* Sacramentum inſtituebat, id nec ipſi Sacramentarii negant. *3tio:* legem ſanciebat juxta hæc Lucæ verba: *hoc facite in meam commemorationem. 4to:* Dogma ſingulare doce-

docebat, patet ex ſubjecta materia; & quamvis foret tantùm figura Corporis Chriſti, ſemper eſſet ſingulare dogma, ante tempora Chriſti inauditum. 5*to*: Tandem amicos inſtante morte alloquebatur juxta illud Joan: 13. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos;* atqui hæc quinq; requirunt propriam, literalem, obviam, naturalem, non metaphoricam, aut figurativam locutionem; ergò. *Prob*: *min*: *per ſingulas partes 1mo*: Nihil exprimi ſolet clarius, diſtinctius, expreſſius quàm Teſtamentum, nec hucuſq; cuiquam venit in mentem teſtari per metaphoras, tropos aut figuras, ita ut ſi Teſtamento domus relinquatur, is ridiculus & ſtultus haberetur, qui contenderet intelligendum eſſe de domo picta, & non de domo vera & reali. Unde humanis legibus ff. *de legatis* l. 3. cautum eſt, Teſtamenta interpretanda eſſe in proprio verborum ſenſu; ergò. 2*do*: Verba legum clara ſunt & perſpicua, non metaphorica ſeu figurata, ne prævaricationi locus detur, & ideo nemo unquam legem inſtituit in tropis aut figuris; ergò. Neq; refert

quod

quod Matt: 26. Lex videatur lata ſub metaphora: *Attendite á fermento Phariſæorum.* Item Epheſ: 4. *Nolite contriſtare Spiritum S.* Nos enim loquimur de lege, quæ de novo inſtituitur & ſit propriè dicta, qualis eſt lex Euchariſtiæ, non verò de legibus, quæ non tam ſunt novæ & propriæ leges, quàm exhortationes ad obſervandas leges, quæ aliunde ſunt omnibus notæ, quales ſunt leges de quibus procedit objectio. *3tio:* Tàm in veteri, quám in nova lege Sacramenta alia inſtituta ſunt, & dogmata præcipua tradita verbîs propriis, claris & expreſſis, ne in eorum uſu aut fide erretur; quippe quæ ſunt baſes & fundamenta religionis; ergò á fortiori hoc primarium & præcipuum novæ legis Sacramentum atq; dogma. *4to:* Solent homines morti proximi, & ultimum vale ſuis amicis dicentes, eos alloqui clarè perſpicuè, non obſcurè, aut per tropos.

Prob. 3. ex Concil. Concil Ephes. anno 431. in epiſt. Cyrilli ad Neſtorium ab ipſo Concilio approbata dicit. *Ad myſticas benedictiones accedimus, eaq; ratio-*

ne ſanctificamur, ut pote ſacræ carnis & pretioſi ſangvinis Chriſti omnium noſtrorum participes effecti. Neq; enim illum ut carnem communem ſuſcipimus - - - ſed tanquam vere vivificam, ipſiusq; verbi propriam. Concil. Nicænum II. Septimum gen. anno 787. act. 6. poſtquam probavit ex laudatis textibus Scripturæ, in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſangvinem eſſe, neq; ullum Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum vocaſſe Euchariſtiam imaginem corporis Chriſti, excludendo ſcilicet realitatem; ſic concludit: *Ergo liquido demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli aut Patres imaginem dixerint ſacrificium ſine ſangvine, quod per ſacerdotem offertur, ſed ipſum corpus, & ipſum ſanguinem &c.* Hæc ante Berengarium: à tempore verò Berengarii, qui primus hanc hæreſim apertè propugnavit, eam damnarunt Concilia: Vercellenſe ſub Leone IX. Turonenſe ſub Victore II. duo Romana ſub Nicolao II. & Gregorio VII. Lateranenſe ſub Innocentio III. Viennenſe ſub Clemente V. Conſtantienſe ſub Martino V. Florenti-

num

num in Decreto unionis, ac tandem Trid. ſeſs. 13. cap. 4 & can. 1. his verbîs : *Si quis negaverit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſangvinem una cum anima & Divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figurâ, vel virtute, anathema ſit.*

Prob. 4. ex præſcriptione. Hanc jam evincunt; quæ hucuſq; dixi ex Scripturis & Conciliis; at illam nunc probo hoc brevi argumento; quo, non leviter torquentur Hæretici. Fides realitatis nata eſt cum Eccleſia, & ſemper in illa viguit; ergo eſt vera. Conſequentia eſt evidens. *Prob. ant.* Certò vigebat in Eccleſia tempore Berengarii, quippe quæ tota in eum tanquam in Novatorem inſurrexit; viguit poſt Berengarium; uſq; ad novos Sacramentarios; & etiamnum viget; neq; ante Berengarium aſſignari poteſt, quando? ubi? & à quo nata ſit? ergo eſt nata cum Eccleſia, & ſemper in ea viguit.

Reſpondet Blondellus Calviniſtarum Pſeudo Miniſter, *Anaſtaſium* Synaitam, id

eſt, montis Synai Monachum circa annum 636. eſſe auctorem ſententiæ aſſerentis in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam.

Reſpondet Claudius alter Miniſter Calviniſta, *Paſchaſium* Corbejenſem Monachum, deinde Abbatem circa annum 818. lib. de *Corpore & Sanguine Domini* primum realitatis dogma apud Chriſtianos invexiſſe. Vides jam alterutrum mentiri; nec mirum: id enim erroris eſt proprium, ut ſuos ſectatores in varias adinventiones abire cogat.

Sed contra 1mo. Tam Anaſtaſius cap. 23. libri quem inſcripsit *Dux viæ*, quàm Paſchasius in epiſt. ad Fraudegardum dogma realitatis tradunt, non tanquam novum & in Ecclesia inauditum, ſed ut doctrinam communem totius Ecclesiæ.

Contra 2. Si vel Anaſtasius Græcus, vel Paſchasius Latinus contra communem Ecclesiæ fidem docuiſſent, quî fieri potuit, ut tam novum, tam inauditum, tam ſensibus repugnans dogma invexiſſent, nullo sive ex Epiſcopis, sive ex Doctoribus, sive etiam ex fidelibus contradicente? quomodo unus Monachus

Græ-

Græcus totam Ecclesiam orientalem, vel unus monachus Latinus totam Ecclesiam occidentalem ſponte conſentientem contra communem & avitam fidem in ſuas partes traxiſſet, iiſq; nunc ambæ Ecclesiæ, licet pluribus aliis capitibus inter ſe diſſentientes, communi conſenſu adhærent? Quando alii Hæresiarchæ Arius, Neſtorius Eutiches, Pelagius &c. virus ſuum diffundere cæperunt, in eos ſtatim inſurrexerunt fideles, Doctores, Epiſcopi, Concilia congregata &c. Hic verò unus Monachus novo contra fidem dogmate totam inficit Ecclesiam, & omnes tacent? Quid dico, tacent omnes, errorem ejurata fide antiquâ avidè ebibunt, ac tuentur; errorisq; auctorem gratiis & laudibus proſequuntur; sic enim Reges, Epiſcopi, Doctores Paſchasium habuerunt poſt editum librum: *de Corpore & Sangvine Domini*, & qui voluerint hunc errorem impugnare, ut Berengarius, tanquam Hæretici unanimiter ſunt habiti. Hæc qui credit, ſomniantium deliriis paſci delectatur. Sed quid moramur? mendacibus Diſcipulis os verberat Ma-

gifter eorum *Zwinglius*, qui in Comment. de vera & falfa Relig. cap. de Euchariftia agnofcit, tempore *Augufti-ni* invaluiffe opinionem de præfentia reali, & ideo Auguftinum non aufum fuiffe fenfum figurativum palam profiteri. *Vidit*, inquit, *omnino pius homo* (Auguftinus) *quid hoc Sacramentum effet, & in quem ufum effet inftitutum: verum invaluerat opinio de corporeâ carne.* Mendacii pariter redarguunt, quæcumq; diximus, fed maxime definitio Concilii Nicæni II. quod fuit celebratum triginta annis ante Pafchasium, & in quo negare non poffunt Sacramentarii affertam fuiffe præfentiam realem.

§ III.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

Objic.1. *Contra prob. defumptam ex cap. 6. Joan.* Promiffionem; quam Chriftus loco citato facit, dandi fuam carnem in cibum, & fangvinem fuum in potum, ipfemet ibidem explicat de fpiriutali manducatione, corrigens erroneam Capharnaitarum, & Difcipulorum in-

intelligentiam his verbis: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita ſunt.* Id eſt, verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritualiter intelligenda ſunt, non de corporali, ſed de ſpirituali manducatione per fidem. Et ita intelligit Auguſt. ſuper Pſalmum 98.

Reſp. Capharnaitas, duo in promiſſione Chriſti intellexiſſe: *primum,* realem ejus præsentiam; *ſecundum,* carnalem manducandi modum, quo caro in fruſta dividitur, dentibus premitur, ac in ſtomachum trajicitur: primum laudatis verbis non correxit Chriſtus, ſed ſecundum. Et inſuper indè patet, quia si per hæc verba; *caro non prodeſt quidquam, Spiritus eſt, qui vivificat:* priora verba reduxiſſet ad meram manducationem per fidem, nihil erat amplius captu difficile, nihil amplius in quo ſcandalizentur Capharnaitæ & Diſcipuli; atqui tamen his verbis non obſtantibus permanſerunt in ſuo ſcandalo; poſt hæc enim ſubdit Evangeliſta: *ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.* Ergo manifeſtum

eſt

est, Christum per hæc verba non correxisse Capharnaitarum intelligentiam de reali manducatione, & spiritualem duntaxat per fidem postulasse. Et ita intelligit August. ut patet ex Tract. 27. in Joan. ubi exponens hæc verba Christi Joan. 6. *Caro non prodest quidquam;* dicit: *Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur.*

Dicunt. Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16. dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atq; utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit;* ergo juxta August. Christus Joan. 6. non intellexit carnem suam verè & realiter, sed figuratè manducandam.

Resp. August. ut patet ex ejus verbis loqui de manducatione corporis Christi cruenta, qualem intelligebant Capharnaitæ; loquitur enim de manducatione, quæ videbatur facinus aut

fla-

flagitium. Porro manducare carnem Christi realiter quidem, sed modo invisibili & spirituali, non sonat flagitium aut facinus, bene autem si visibiliter & cruentè manducaretur. Verè autem dicit August. verba Christi hoc ultimo sensu accepta figurata esse, seu esse figuram, non quidem corporis, sed crucifixionis Christi, quatenus eis significatur, nos debere illi piis meditationibus communicari.

Urgent. August. Tract. 26. in cap. 6. Joan. dicit: *ut quid paras dentes & ventrem, crede & manducasti,* similiter multi Patres Basil. Hieronym. & alii exponunt hunc locum Joan. sensu mystico de manducatione spirituali per fidem; ergo.

Resp. Juxta V. Bellarminum. Augustinum hæc verba non protulisse de Sacramento, sed de fide Incarnationis, quia nondum pervenerat ad versum 52. ubi Evangelista incipit agere de Sacramento. Explicat ergo S. Doctor quomodo Judæi, qui panibus multiplicatis nutriti fuerant in deserto, debeant alium panem petere, qui non perit, quem se-

ſeipſum dicebat eſſe Chriſtus, in quem credere debebant, ut haberent vitam æternam; ad hanc autem fidem non ventre aut dente opus eſt, ſed corde bene diſposito.

Inſtant. Sicut Chriſtus dixit: *hoc eſt corpus meum, caro mea vere eſt cibus &c.* sic dixit Joan. 15. *Ego ſum vitis vera;* atqui id ultimum debet intelligi in ſenſu figurativo ſeu mataphorico; ergo & primum.

Reſp. nego conſequ. diſp. eſt. Quod cúm Chriſtus dixit ſe vitem veram, alia ſubjunxit, quibus explicatur ſe locutum fuiſſe non in ſenſu proprio, ſed metaphorico, ſeq. comparaſſe viti, quoad quasdam ejus proprietates: addit enim: *ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Nihil autem unquam protulit, quo Euchariſtiæ verba, ad ſenſum figurativum explicari poſsint, aut debeant.

Objic. 2. Plura ex Patribus, quorum textus referre & explicare longum foret: unde pro vera eorum intelligentia pono generales regulas ſequentes.

I.

I. regula. Quando SS. Patres vocant Euchariſtiam figuram, similitudinem, imaginem, typum, antitypum, ſpeciem, repræſentationem, myſterium, Sacramentum, signum corporis Chriſti; hæc multiplici & vero ſenſu intelliguntur, abſq; detrimento realis præſentiæ. *1mo.* dicitur figura, signum &c. ratione ſpecierum panis & vini, quæ ex inſtitutione Chriſti ſunt signum, & figura &c. corporis Chriſti non abſentis, ſed præſentis, & ſub iis contenti: nihil enim obſtat, quin detur signum rei præſentis, sic ſangvis & ægritudo ſunt signa vitæ præſentis; ſed & maximè si res significata non appareat, ut in ſubjecta materia: sic columba in baptiſmo Chriſti, lingvæ igneæ die Pentecoſtes erant figuræ & signa Spiritûs S. præſentis. Unde *de Conſec.* d. 2. c. 89. ex Auguſt. dicitur: *Corpus Chriſti, quod ſumitur de altari, figura est dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & ſangvis Chriſti in veritate interius creditur.* *2do:* Euchariſtia dicitur figura, ſignum &c. ratione totius contenti, quatenus corpus Chriſti ſub ſpecie-bus

bus velatum, & vi verborum a sanguine separatum, est signum sui ipsius tum in cruce immolati, tum in cælis revelati, & sanctos beatificantis; quamvis enim sit idem corpus in Eucharistia, in Cruce, & in Cælo, non est tamen idem status, & sic potest idem sub diversa consideratione esse sui ipsius signum & figura. *3tio*: Eucharistia quandoq; dicitur signum, figura &c. corporis mystici Christi, quod est Ecclesia, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, & per vinum ex multis racemis expressum repræsentatur; ut explicat *August.* Tract. 26. in Joan.

II. Regula Hoc Sacramentum tam in Patribus, quàm in scriptura, quandoq; vocatur panis duplici ratione *1mo*: Ratione accidentium panis, quæ remanent, & sub quibus corpus Christi sensibus objicitur. *2do*: ratione materiæ, quæ conversa est in corpus Christi; quo sensu virga Aaron in serpentem conversa vocabatur adhuc virga Exodi 7. *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Insuper Eucharistia non appellatur panis simpli-

ci-

citer, ſed panis cæleſtis, panis cæli, panis ſuperſubſtantialis, panis de cælo deſcendens, panis vivus, panis Angelorum &c.

III. Regula. Quando quidam dicunt in Euchariſtia non eſſe idem corpus, quod de Virgine Chriſtus aſſumpsit, in quo mortem ſubiit, reſurrexit, aſcendit in cælum, qui loquendi modus fuit frequentior Scriptoribus IX. ſæculi, intelligunt non eſſe idem corpus quoad ſtatum & affectiones; licet sit idem quo ad ſubſtantiam.

IV. Regula. Dum SS. Patres ita commendant manducationem ſpiritualem, ut aliam videantur non admittere, volunt tantum externam & realem sine ſpirituali nihil prodeſſe, ut docet Auguſt Tract. 26. in Joan ubi ait. *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus Sanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumit ad Chriſti accedere Sacramentum.*

V.

V. Regula. Dum quidam Patres dicunt, panem benedictum non esse corpus Christi, intelligunt panem ante consecrationem; vel Eulogias seu panem benedictum, qui non communicantibus dabatur in signum unionis, & quem *August.* vocat lato sensu Sacramentum.

VI. Regula Quando Patres dicunt nostra corpora nutriri, augeri, consistere corpore Christi, id intelligunt eodem sensu, quo dicitur corpus Christi manducari, tangi, dentibus teri, &c. improprie scilicet & mediatè ratione specierum, quibus involvitur, & quibus intimè conjungitur, ita ut rei significatæ nomen signo tribuatur, ut frequens est; vel intelligunt de nutrimento, & augmento corporis non transitorio, quale fit ex communibus cibis, sed de nutrimento & augmento permanente, quatenus corpus nostrum ex conjunctione reali cum corpore Christi, incorruptionis & immortalitatis semina recipit.

VII. tandem & ultima regula: Si forte quidam antiquiores minus accuratè de hac materia scripserint, nihil inde con-

contra Catholicum dogma erui poteſt: ideo enim ſtrictiori loquendi modo non ſe adſtringebant, quia ſciebant ſe à fidelibus nulla dubitatione pulſatis bono ſenſu intelligi. Quemadmodum Auguſt. l. 1. contra Julian. c. 6. de Chryſoſtomo loquens, licet in diverſa materia dicit: *Diſputans*, inquit, *in Catholica, Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur.* Quidam etiam parcè & ſubobſcurè locuti ſunt propter diſciplinam arcani, qua prioribus ſæculis ſecretiora Religionis Myſteria Paganis; Judæis, & Catechumenis occultabantur; tum quia erant ad illa intelligenda impares, tum ne ea irriderent; & profanarent. Hujus diſciplinæ teſtes ſunt Tertul. c. 7. Apolog. *Omnibus myſteriis*, inquit, *ſilentii fides debetur* - - - *& unde extraneis notitia, cum ſemper etiam piæ initiationes arceant profanos*: Orig. lib. 1. contra Celſum. S. Baſil. de Spiritu S. cap. 27. S. Cyril. Hieroſol. Catecheſi 6. illuminatorum, ubi ait, miniſtros Chriſti *multa ſæpe loqui obtectè ſeu obſcurè, ut fideles qui rem tenent*

nent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur. S. Cyril. Alex. l. 7. contra Jul. *Plurima,* inquit, *de his, alia & vera dicerem - - - nisi profanorum aures metuerem.* Chrysost. hom. in 1. Corint: *Volo quidem apertè dicere: non audeo verò propter eos, qui non sunt initiati; ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, ut qui nos cogant, vel non apertè dicere, aut eis arcana enuntiare.* Et homil. de proditore Juda: *nôrunt initiati calicem istum: scietis catechumeni intra paucos dies.* Unde istud solemne apud antiquos: *norunt fideles, quid recipiant.*

Loco coronidis observandum, hoc dogma præsentiæ realis, quasi quid repugnans rationi à Calvinistis traduci. At in fidei Mysteriis non rationem, sed fidem ipsam esse consulendam; fateantur, nisi in numero Naturalistarum esse velint. Igitur superbi objicientes dicant humiliter cum Augustino Epist: 137. alias 3. ad Volus: *Dandum, Deum aliquid posse, quod fateamur nos investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.* Dicant cum Chrysost: homil: 83. in Matth: *Credamus ubiq; Deo, nec repugne-*

gnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: in omnibus rebus, sed præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent, solummodo aspicientes, sed verba quoq; ejus tenentes: nam verbis illius defraudari non possumus, sensus enim noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit: hoc est corpus meum, nulla dubitatione teneamur, sed credamus. Et ut exemplum domesticum eis proponamus: dicant cum suo authore Calvino lib: 4. Instit: cap: 17. §. 1. 7. & 10. ubi postquam dixit hoc Sacramentum esse *maximum arcanum Spiritûs S. incomprehensibile, incredibile, inexcogitabile*, subjungit: *quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides spiritum verè unire, quæ locis disjuncta sunt.* Hæc inquam dicant & reflectant se in Synodo Sandomiriensi in Polonia anno 1570. in Synodo Cracoviensi 1573. Petricoviensi 1578. Wladislaviensi 1583. Torunensi 1595. item in Galliis in Synodo Carentonensi anno 1631. Lutheranis exhibuisse communionem nulla facta hæresis abjuratione. Qua fronte ergo contendunt, dogma realis præsentiæ, quod tenent nobiscum

biſcum Lutherani, adverſari fidei & rationi? quo pudore nos tanquam idololatras, & abſonos in eo credendo traducunt?

ARTICULUS II.

De modo, quo Chriſtus in Euchariſtia eſt præſens.

Lutherani duo contendunt, nempe panem & vinum remanere in Euchariſtia, cum corpore & ſangvine Chriſti; deinde verò corpus & ſangvinem nonniſi in uſu reperiri.

§. I.

Utrùm datur tranſſubſtantiatio?

Dico. In Euchariſtia non remanet ſubſtantia panis & vini; ſed vi verborum conſecrationis fit vera tranſſubſtantiatio; ſeu converſio totius ſubſtantiæ panis in corpus; & totius ſubſtantiæ vini in Sangvinem Chriſti. *Eſt de fide contra Lutheranos.*

Prob. 1: ex definitionibus Eccleſiæ in Concilis. Conc: Rom: ſub Greg: VII. anno 1079. definit: *panem & vinum ſubſtantialiter converti in corpus & ſangvinem Chriſti.* Concil: Lateran: IV. ſub Innocentio III. anno 1215. cap: *Firmiter: Credi-*

Credimus, inquit, *ac confitemur corpus & ſangvinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, transſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſangvinem poteſtate Divina.* Concil: Conſtant: anno 1418. ſeſs: 8. damnavit articulum Wiklefi dicentis; ſubſtantiam panis & vini manere in Sacramento altaris. Concil. Florent: in Decreto unionis dicit: *Verborum Chriſti virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſangvinem convertuntur.* Conc: Trid: ſeſs: 13. c. 4. ſed apertiſſimé & decretorié can: 2. his verbis: *ſi quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, una cum corpore & ſangvine Domini noſtri JESU Chriſti, negaveritq; mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ vini in ſangvinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Transſubstantiationem appellat, anathema ſit.*

Prob: 2. ex verbis conſecrationis. Si verbîs conſecrationis prolatîs remaneret ſubſtantia panis, falſò diceretur; *Hoc eſt corpus meum*, ſed dicendum foret:

hic est corpus meum; ergo. *Prob: ant*: Si verbîs consecrationis prolatîs remaneret substantia panis cum corpore Christi, hæc demonstraretur per pronomen *Hoc*: atqui falsum est panem, seu substantiam panis esse corpus Christi; ergo. *Prob: maj*: Quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, altera latens & insensibilis sub istis accidentibus, quæ neq; ex natura sua, neq; ex usu destinata sunt, ut hanc substantiam latentem contineant, qui demonstrat contentum sub illis accidentibus, non designat substantiam latentem, sed visibilem & sensibilem per propria accidentia: sic qui haberet panem, in quo lateret nummus aureus, non recte diceret demonstrando panem, hoc est aurum; ergo.

Confirmatur ex testimoniis ipsorum Hæreticorum. Quod vel ipsi Eucharistiæ adversarii fatentur, dubio-procul astruit veritatem; atqui ipsi Protestantes occasione disputationis cum Græcis, non semel confessi sunt fidem Transsubstantiationis ab eis propugnari; igitur non est relictus ambigendi locus circa fidem

orien-

orientalium, tum de realitate corporis Christi in Eucharistia, tum de Transsubstantiatione panis & vini. *Prob: min:* multis momentîs. *Primo quidem*: Legati Anglorum, & Batavorum videntes testimonia orientalium, quæ, Domino de Nointel Oratori Ludovici XIV. ad portam Othomanam data fuerant, stupentes demirati sunt, Ministrum Claudium adhuc pertinaciter propugnare orientales, fidem præsentiæ realis, & transsubstantiationis non tenere, sic asserit Contensonius, ubi de Eucharistia tractat. *Secundo*. Theologi Wittembergenses quinq; annorum spatiô congressum habuere cum Jeremia Patriarcha CPolit: ut eum in suos adducerent errores, quos vero omni argumentorum genere confutavit, pro dogmatibus maxime Eucharistæ defendendis, ut dictum est, ubi de numero septennario Sacramentorum; igitur credebant Wittembergenses ab Orientalibus propugnari realitatem & transsubstantiationem. *Tertio*. Arnoldus Bootius Calvinista pertinacissimus, scribens ad Usserium de Commentario Dionysii Barsalibi in Evangelia,

quod ab ipſo legendum ſuſceperat, ultro fatetur, in eo multa reperiri, quæ manifeſtant fidem orientalium pro realitate & transſubſtantiatione panis & vini, in corpus & ſangvinem Chriſti; ergo.

Objic: 1. Quidam SS. Patres docent expreſsè remanere naturam & ſubſtantiam panis in Euchariſtia, eumq; uniri corpori Chriſti, ſicut natura Divina & humana uniuntur in Incarnatione: ſic Chryſoſt: epiſt: ad Cæſarium Monachum impugnans Synouſiaſtas ſeu Apollinariſtas Eutychianorum præcurſores, aſſerentes in Chriſto commixtionem naturarum; probat Chriſtum eſſe unum filium, unam perſonam, etſi naturæ in eo non ſint permixtæ, & utraq; retineat ſuas proprietates, ad quod probandum utitur exemplô Euchariſtiæ, & dicit: *ſicut antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt Domini corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus filii prædicatur, ſic & Divina inundante corpori natura, unum filium,*

unam

unam perſonam utramq; hæc fecerunt. Theodoretus Dialogo 2. qui inſcribitur: *Inconfuſus,* eodem modô loquitur: *neq; enim,* inquit, *ſymbola myſtica poſt ſanctificationem a ſua natura recedunt, manent enim in priori ſubſtantia, & figura & forma, & videri tangiq; poſſunt, ſicut & prius.* Gelaſius Papa, qui obiit anno 496. lib: de duabus naturis in Chriſto adverſus Eutychianos dicit pariter: *certa Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſangvinis Chriſti divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini;* ergo.

Reſpon. quidam cum Cardinali Perronio; verba Theodoreti non accuratè reddi ab interprete è Græco in Latinum, nec debuiſſe vertere, *manent in priori ſubſtantia, figura & forma,* ſed *manent in prioris ſubſtantiæ figura & forma,* quod probat ex Græco. Quantum ad Gelaſium multi contendunt, hunc libellum de duabus naturis non eſſe Gelaſii Papæ. *1mo:* quia teſte Gennadio & Honorio Auguſtodunenſi opus Gelaſii eſt grande volumen, cum opus unde argumentum erui-

eruitur, ſit libellus exiguus. *2do.* quia author hujus libelli laudat inter Eccleſiæ Patres Euſebium Arianorum partibus addictum, cujus ſcripta declaravit apocrypha ipſe Gelaſius. *3tio*, quia hunc libellum primum ediderunt Lutherani anno 1527 ex codice mendoſo, quemq; ſuis additamentîs amplius, ut veriſimile eſt, adulterarunt. Plures alias ſuppoſitionis rationes vide apud Melchiorem Canum de locis Theologicis lib: 6. c. ultimo & V. Bellarminum lib: 1. de ſcriptoribus Eccleſ. in Gelaſio. Præmiſſis itaq; his reſponſionibus.

Reſp: 2. Laudatos Patres per naturam & ſubſtantiam panis intelligere duntaxat accidentia, & proprietates panis, quibus, ejus natura & ſubſtantia dignoſcitur, frequens namq; eſt apud SS. Patres, ut his vocabulîs, *natura, ſubſtantia,* intelligant non ſubſtantiam proprie dictam, ſed congeriem accidentium, quibus una res dignoſcitur. Sic ipſe Chryſoſt: homil 22. in Gen: de igne fornacis Babylonicæ dicit: *Dominus prout vult, unumquodq; elementorum in contrariam vertit ſubſtantiam.* Et homil. 4. ad populum

Anti-

Antioch: *Pietas juvenum rerum naturam mutavit;* certò tamen conſtat, non naturam aut ſubſtantiam ignis mutatam fuiſſe, ſed proprietates ſolum & accidentia.

Inſt: Chryſoſt: intendit probare contra Synouſiaſtas ſeu Apollinariſtas, duas naturas manere in Chriſto inconfuſas: quia in Euchariſtia remanent duo corpora ſcilicet panis & Chriſti impermixta; atqui iſtud argumentum nihil probaret, ſi per ſubſtantiam panis intelligat mera accidentia, & non corpus materiale; ergo.

Reſp: *nego maj*: expreſſè enim dicit Chryſoſt: non eſſe duo corpora in Euchariſtia. Itaq; Synouſiaſtæ Eutychianiſmi præcurſores dicebant; verbum habere carnem ſibi coæternam & conſubſtantialem, ſine tamen circumſcriptione, anima, mente, & aliis proprietatibus noſtræ carnis; eas autem in tempore aſſumpſiſſe ſimilitudinariè & apparenter, divinitatemq; illi fuiſſe loco animæ & mentis, & ſub illa ſimilitudine ac phantaſmate cum hominibus eſſe converſatum, paſſum, mortuum. Poſt aſcenſionem verò, iterum circumſcriptionem cæteraſq; carnis noſtræ proprietates exuiſſe,

isse, quia arbitrabantur ex duabus naturis veris cum propriis agendi principiis, & proprietatibus inconfusis resultare duas personas. Hos igitur impugnans Chrysost: dicit, in Christo fuisse veram naturam humanam, nostræ similem cum omnibus suis proprietatibus, circumscriptione, principiis intelligendi, volendi &c. neq; ex his accidentibus & principiis agendi diversis, magis tolli unitatem personæ in Christo, quam tollatur unitas corporis Christi in Eucharistia, ex hoc quod accidentia panis cum corpore in ea remaneant inpermixta: & ibi sistit paritas, neq; enim est necesse, ut exempla, ex omni parte conveniant rei, de qua agitur. Imo, si, ut volunt objicientes, Chrysost: asseruisset remanere veram substantiam panis cum corpore Christi, inde arguissent Synousiastæ, non esse in Christo unam personam, sicut in Eucharistia caro Christi, & substantia panis non sunt unum corpus, sicq; S. Doctor oppugnans Synousiastas præformasset Nestorianismum.

Objic: 2. Hoc nomen '*Transubstantiatio* est novum, & ante Concil: Lateran: IV.

IV. ſub Innocentio III. anno 1215. inauditum; ergo rejiciendum.

Reſp: 1. *nego*: *ant:* Hoc enim nomen legitur in epiſt: 140. Petri Bleſenſis circa annum 1160. Item in antiqua profeſſione fidei Toloſſanorum Hæreticorum apud Baronium ad annum 1178. Item in epiſt: Gofredi ad Cardinalem Albanenſem apud eundem Baronium ad annum 1188.

Reſp: 2. *dato ant*: *nego conſeq*; Habet enim Eccleſia poteſtatem inſtituendi novas voces, quando eas judicat neceſſarias ad melius exprimendum dogma Catholicum, & efficacius occurendum tergiverſationibus Hæreticorum; ſic contra Arianos uſurpavit vocem *Omouſios*, contra Neſtorianos *Theotecos*, & alias ſimiliter.

§ II.

An Euchariſtia peractô ſacrificiô reſervari poſſit?

Lutherus peractô ſacrificiô Euchariſtiam, aut ut ad ægrotos deferatur, aut ut ad fidelium communionem ſervetur, reſervari non poſſe contendit. Idem

viſum

visum est *Kemnitio;* sed cum eo discrimine, quòd velit ipsam, etiam peractâ Liturgiâ integram permanere, modo ad infirmos immediatè deferatur. Nituntur Sacramentarii hôc principiô, nempè quòd velint Eucharistiæ Sacramentum, non esse rem, quæ permaneat, sed quæ, in usu tantum posita sit, sicut (inquiunt) aqua baptismatis tunc solum est Sacramentum, cùm actu Catechumenum abluit. *Luthero* placuit Christi corpus á Consecratione, usq; ad eorum, qui adsunt communionem inclusivè in pane & vino permanere; mirum igitur non est, quod ad aliud usq; tempus reservetur. *Melanctoni* ac Theologis Wittembergensibus, & Lipsiensibus visum est, Christi corpus esse in Sacramento in usu tantum, seu in ore fidelium, á quibus sumitur; proindeq; ab iis Lutheranis, qui illi doctrinæ subscripserunt, ne brevi quidem momento reservari debet.

Dico Eucharistia peractô sacrificiô, verè & piè conservatur.

Prob: 1. ex Scriptura. Contra Sacramentarios ac Melanctonianos. Scripturîs docemur Eucharistiam independenter

ter ab ufu, effe verum Sacramentum; ergo & ante, & poft ufum refervari poteft. *Prob: ant:* Eo inftanti Euchariftia eft Sacramentum, quo verba Evangelica, *Hoc eft corpus meum, hic fangvis meus* prolata fuerunt; eo nimirum momentô Chrifti corpus fub panis & vini fpeciebus exiftit; alioquin in ore Chrifti vera non fuiffent; quippe quibus in præfenti tempore, affertum fuerit, quod corpus effet præfens, *Hoc eft corpus meum* & tamen, ex adverfariis, non adfuit, nifi dum actu receptum eft ab Apoftolis. *2do: Eodem argumento urgentur Lutherus, Kemnitius & alii, qui Sacramenti permanentiam adftruunt faltem à confecratione ufq; ad Sacerdotis & populi communionem.* Si corpus & fangvis Chrifti, dum peragitur Liturgia, & ante ufum, fint in Euchariftia, non eft cur, peractâ totâ Liturgiâ, non permaneant; neq; enim alicujus particulæ ufus, tollit confecrationem ab ea, quæ in Sacrificio non fumitur. Id *Melanctoni* tanti roboris vifum eft, ut nifi corporis & fangvinis Chrifti præfentia in folo ufu admittatur, refervationem, ficut moris eft in Ecclefia Rom: tolli non poffe cum

Theo-

Theologis Wittembergensibus professus sit.

Prob: 2. *ex traditione, qua, constat antiquitús, etiam peractô sacrificiô ubiq; gentium, & quidem ob multiplices fines reservatam fuisse Eucharistiam*. 1. Eucharistia olim Romæ a Summis Pontificibus reservabatur, ut ad distantes Episcopos in signum communionis Ecclesiasticæ mitteretur; ejus moris testis est *Irenæus* Lugdunensium Archiepiscopus, qui II. sæculo usq; ad III. initium floruit, in epist: quam suo & totius Ecclesiæ Lugdunensis nomine ad *Victorem* Papam conscripsit. 2. Consecratam Eucharistiam in templis, fideles domum asportabant; ut dum sæviebat persecutio, eâ se quotidie reficerent; illam piam consvetudinem *Cyprianus libro de lapsis confirmat*. 3 Eucharistia quondam asservabatur, ut in itinere tanquam firmum præsidium á peregrinantibus deportaretur; id colligitur ex oratione funebri S. *Ambrosii* habita pro fratre *Satyro*. 4. Ab orientalibus reservata fuit Eucharistia ad missam præsanctificatorum, singulis jejuniorum diebus celebrari solitam,

tam, & apud Latinos ſemel in anno, feria ſexta in paraſceve. Illam præſanctiſicatorum miſſam injunxere Trullani Patres can: 52. ubi hæc habentur: *in omnibus ſacræ quadrageſimæ diebus, præterquam Sabbatho & Dominica & Annuntiationis die, ſiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium.* Diſciplinam illam primi non invexerunt mox laudati Patres, quippe quàm *Laodiceni,* ineunte IV. ſæculo can: 49. injunxiſſent. Ex his patet eos, qui Eccleſiæ Rom: vertunt crimini, quod Euchariſtiam peracto Sacrificiô reſervet, ejuſdem criminis inſimulare antiquos omnes tum in oriente, tum in occidente Pontifices; ergò.

Objic: Chriſtus Dominus eodem tempore, quo panem & vinum conſecravit, abſq; mora diſtribuit Diſcipulis; ſed iſte ritus argumentum eſt Euchariſtiam non niſi in uſu ſitam eſſe; ergò.

Reſp: nego min: quinimo ex verbis inſtitutionis colligimus, Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens; quandoquidem utraq; materia præſupponebatur conſecrata, antequam eam Chriſtus porrigeret Diſcipulis. Neq; verò ex communione

nione immediatè ad Conſecrationem ſubſequente infertur Euchariſtiam non poſſe aſſervari, ut paſſim docent SS. Patres: in primis *Juſtinus, qui Apologia 2. ſub finem*: ſcribit poſt ſacra peracta, dari Euchariſtiam Diaconis deferendam ad abſentes. Hoc ipſum ex probationibus patet; ſed non prætereundum percelebre teſtimonium *Concilii I. Nicæni, quod can: 14. alias 18. alias etiam 20.* præcipit, ut in abſentia Sacerdotum Diaconi ſacram porrigant Euchariſtiam; igitur jam erat conſecrata, & in poſtophorio aſſervata.

Inſtant: Clemens Rom: ep: 2. jubet tot poni in altari holocauſta, quot populo ſufficere poſſint, & nihil ſervari in craſtinum, ſed à Clericis abſumi; *Origenes homil: 7. in caput 7. Levitici.* ſed hæc indigitant corpus & ſangvinem Chriſti, non eſſe extra uſum in Euchariſtia; ergò.

Reſp: nego min: ad authoritatem Clementis dico: unum tantummodo eum velle ſcilicet materiam conſecratam diu non eſſe aſſervandam, ne in eam aliqua obrepat corruptio, talis eſt ſenſus Clementis

in

in hac epistola. Præ oculis igitur ad multorum solutionem habendum est, hanc inolevisse consvetudinem in Ecclesia, ut hostiæ pro numero communicandorum consecrarentur, quædam asservarentur pro infirmis, exuberantes particulæ pueris jejunis distribuerentur; vetustæ verò hostiæ à Sacerdotibus vel Clericis absumerentur. *Ad Originem dicimus*; videlicet non inde sequi Eucharistiam asservari non posse, tametsi Christus Dominus, eodem propé tempore & consacraverit, & suos communicaverit Discipulos.

Urgent. Concilium Toletanum I. can: 14. & Cæsar-Augustanum can: 3. prohibent, Eucharistiam asservari in domibus; ergò.

Resp: dist: Laudata Concilia unum tantummodò intendunt, scilicet: ut fideles in posterum, juxta quemdam morem perantiquum in suas non asportarent domos sacram Eucharistiam, ne quidem in malum usum ea uterentur; *conc*: & definiunt eamdem, non posse asservari in pyxide; *nego*: Solutionis pondus affulget ex Concil: Lateranensi sub Innocen-

centio III. c. 20. cujus hanc reddit rationem, ne aliqui tantô Sacramentô ad veneficia, & alia hujufcemodi fcelera patranda abutantur. Neq; verò propter laudatas rationes magis urget Concilium II. Matifconenfe ftatuens can: 6. ut feriâ quinta & fexta parvuli innocentes adducerentur, & indictô eis priùs jejuniô ipfis porrigeretur, quod ex Sacramenti particulis confumendum foret; nam quædam pro infirmis afservabantur.

§ III.

Utrum accidentia panis & vini facta transfubftantiatione remaneant in Euchariftia?

Dico: Accidentia panis & vini poft confecrationem in Euchariftia fine fubjecto remanent.

Prob: 1. ex Concilio Lateran: fub Innocentio Papa III. cap: 1. definitum eft: *verum Chrifti corpus & fangvinem in Sacramento altaris fub fpeciebus panis & vini veraciter contineri*: á Concil: Conftantienfi profcriptus fuit hic Wiklefii articulus, *accidentia panis non remanent fine fubjecto in Sacramento altaris.* Concil: Trid:

Trid: ſeſs: 13. c. 2. Ii damnantur anathemate, qui negaverint, *mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſangvinem manentibus duntaxat ſpeciebûs panis & vini.*

Prob: 2. Propriâ experientiâ docemur, panis ac vini quantitatem, colorem, ſaporem poſt conſecrationem in Euchariſtia remanere. Præterea fide certum eſt nullam omninò ſupereſſe ſubſtantiam, cui; factâ conſecratione, inhæreant eæ qualitates, quas Concilium Conſtantienſe *accidentia* panis & vini; Tridentinum verò *ſpecies* appellat; ergò abſq; ullo ſubjecto remanent.

Petes. In quo poſita ſit natura accidentium, quæ poſt conſecrationem in Euchariſtia remanent?

Reſp: Quidam recentiores Philoſophi, nec accidentia, ſaporem nempe, colorem; nec ipſam etiam quantitatem eſſe aliquid, quod ex parte objecti, ſeu à parte rei exiſtat; ſed eſſe modificationes in ſenſibus factas, immediatè à Deo, qui ad occultandum transſubſtantiationis miraculum, eodem modô per ſeipſum

movet sensuum organa, ac si panis & vini substantiæ adessent; unde ii Philosophi immediatum carnis Christi contactum in Eucharistia dari contendunt; id verò sibi videntur probare 1. ex Chrysostomo qui homilia 83. sic loquitur: *quod modò dicunt, vellem formam & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem coloramenta videre: ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis: vestimenta ejus desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradit, non ut videas solùm ipsum, verùm etiam ut tangas, & in te habeas.* Idem probare sibi videntur ex Berengarii confessione in Concil: Rom: sub Nicolao Papa II. ea nimirum confessione Berengarius professus est: *verum Christi corpus & verum ejus sanguinem sensualiter manibûs Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibûs atteri.* Sed sic opinantium responsio graves patitur difficultates. 1. Cùm Eucharistia sit Sacramentum permanens, necessariò requiritur, ut constet, ex duabus rebus, quæ simul permaneant, & quarum saltem una sit sensibilis. 2. si species ex parte hostiæ consecratæ, nihil essent reale, grave sequeretur absurdum: nempe

pe quòd cùm hostia consecrata in varias partes frangitur, hujusmodi fractio cùm realis sit, in ipsummet Christi corpus fiat; nihil enim aliud præter ipsum in adversariorum suppositione, reale esset, in quod posset fieri. Sed id perabsurdum est, quippe quod Augustinus cæteriq; Patres pro flagitio habuerunt Eucharistiæ manducationem, in qua Christi corpus dilaniaretur, ac modo Capharnaitico dentibûs attereretur. 3. In hostia consecrata vermes nonnunquàm generantur; ergo in ea remanet aliquid, cujus corruptio illi generationi causam præbeat. Id verò non est corporis Christi substantia, cùm nulli omninò corruptioni subjaceat; non est quoq; substantia panis, cùm post consecrationem non superfit; ergò est aliquid reale, quod ante consecrationem simul cum pane existebat. 4. Patres qui contra Eutychianos disputârunt, supposuerunt in Eucharistia remanere post consecrationem aliquod ens physicum, & reale, à Christi corpore distinctum; eô nimirùm principiô nixi, argumentati sunt, ut probarent duplicem in Christo naturam, etiam

poſt unionem remanſiſſe: *qui enim* (inquit Theodoretus Dial: 1. quem, *impatibilis*, inſcripſit) *corpus naturale*, *frumentum*, *&* *panem appellavit*; *&* *vitem rurſùs ſe ipſum nominavit*; *is viſibilia ſymbola corporis* *&* *ſanguinis appellatione honoravit*, *non naturam mutans* (ſymbolorum) *ſed naturæ gratiam* (ſubſtantialem nempè per corporis præſentiam) *addens*; ergò a pari concludit Theodoretus) nec Verbum aſſumens naturam humanam, mutavit eam in ſui ſubſtantiam (ut docebant Eutychiani) ac proinde humana natura in Chriſto, etiam poſt unionem remanſit. Quod verò ex Chryſoſtomi authoritate, & ex confeſſione Berengarii celebres illi Philoſophi proferunt, maximi non videtur eſſe ponderis; ſiquidem propter intimam & mirabilem ſpecierum cum corpore Chriſti conjunctionem, communicatio idiomatum aliquô modô locum habet in Euchariſtia; ita, ut actiones externæ, quæ fiunt circa ſpecies; tribuantur rebus, quæ ſub iis continentur; quemadmodum (ſervatâ debitâ proportione) quæ humanæ tantùm naturæ propriè conveniunt, de filio

lio Dei propter unionem hypoſtaticam dicuntur.

Objic: 1. in gratiam Maignani. Poſt conſecrationem panis & vini manent ſolæ ſpecies, ſive apparentiæ ex Tridentino; ſed ſpecies & apparentiæ ſunt meræ impreſſiones & non accidentia abſoluta; ergo id, quod remanet, eſt mera ſenſatio, id eſt, Deus eodem modô ſenſus movet, ſicut panis & vinum antea movebant.

Reſp: diſt: maj: manent ſolæ apparentiæ ſubſtantiarum panis & vini, *conc.* ſolæ apparentiæ accidentium panis, & vini; *nego.* Non enim ſolæ ſpecies ſeu apparentiæ ſacramentariæ ibi ſunt, id eſt, meræ impreſſiones, ſed manet veritas & realitas ſacramenti, ſeu ſignum ſenſibile & permanens, ut fides Catholica docet. Undè non manet ullô modô materia accidentium panis & vini, jam verò cùm à Concilio Trid: poſt conſecrationem manere dicuntur ſolæ ſpecies, eodem modô loquuntur Patres Trid: quô Conſtantienſes, qui pronuntiârunt manere accidentia panis & vini ſine ſubjecto; alias Chriſtus Dominus perpetuò, quod abſit dice-

dicere, nos deciperet, nobis oſtendendo ſpecies panis, quæ non eſſent panis, ſed quæ continuò ab eo crearentur. Quod autem Concilium Trid. per ſpecies intelligat accidentia abſoluta, patet ex Catechiſmo Romano qui dicit 2. p. num: 43. *relinquitur, quòd accidentia panis & vini, ipſa ſe, nullâ aliâ re niſa ſuſtentent.*

Inſtabis. Species eſt aliquid ab objecto emiſſum; atqui accidentia obſoluta non ſunt aliquid ab objecto emiſſum; ergo.

Reſp: diſt: maj: ſpecies intentionalis ſeu logica eſt aliquid ab objecto emiſſum; *conc.* ſpecies materialis ſeu phyſica, *nego.* Species intentionalis eſt impreſſio quædam in organo reſidens, ſeu affectio ſenſûs, materialis verò & phyſica eſt entitas realis à materia diſtincta & ab ea ſeperabilis. Porrò, accidentia phyſica non ſunt ſpecies intentionales, quia ſpecies intentionales ſunt apparentiæ accidentium: at verò accidentia abſoluta ſunt ſpecies materiales, quippe quæ ſint entitates materiæ ſuperadditæ, in Euchariſtia autem ſimilitudinem panis referunt, panemq; phyſicè afficerent, niſi

nisi miraculosè esset in substantiam corporis Christi immutatus.

Repones. Species Eucharisticæ non sunt physica accidentia panis, alias Ecclesia non caneret: *visus, gustus, tactus in te fallitur;* atqui tamen sic canit, ergo.

Resp: nego ant: ad prob: dist: maj: Visus, gustus, tactus in te fallitur circa substantiam panis & vini, eò quòd intuendo ejusmodi accidentia, seclusâ fide judicaremus, ibi adesse substantiam panis & vini, *conc. visus, gustus, tactus in te fallitur* circa accidentia panis, *nego.* Operatio igitur sensuum non est falsa circa accidentia panis, cùm physicè remaneant, sed illa præbent duntaxàt occasionem falso judiciô intellectûs circa substantiam, à quo tamen fidê adjutus, abstinet. *Inquies.* Quid incommodi videtur dicere apparentiam panis & vini, non à pane & vino proficisci, sed à Christo Domino, qui occultandi mysterii causâ, easdem sensibus nostris ingerit species, ac si esset panis & vinum?

Resp: Id quidem à Christo fieri posse, sed quod non factum sit, annuntiant conciliorum definitiones. Et verò illæ impres-

pressiones forent solummodo ideales, & non reales; ergo &c.

Objic. 2. Si daretur forma accidentalis, esset accidens, & non esset; illud autem est contradictorium; ergo.

Resp: nego sequ: maj: & *dico* semper foret accidens, quia semper inhærere exigeret.

Consectaria.

Ex his, quæ Christi realem præsentiam in Eucharistia consequuntur.

I. Est adoratio; Ecclesia enim semper Eucharistiæ adorationem exhibuit, ut patet ex antiquis Doctoribus, cujus rei tanta est evidentia, ut nec ipse *Lutherus* id negaverit, maximè in thesibus, Lovaniensium articulis oppositis.

II. Quod sanctè festivitas in honorem Christi corporis instituta sit. Porrò hoc factum est anno, 1264. sub *Urbano* IV. Pontif. observata tamen non est in omnibus occidentis Ecclesiis ante an: 1311. quô, in Concilio gen: Viennensi à *Clemente* V. *Urbani* successore promulgata est. *Martinus* V. & *Eugenius* IV. eam postea confirmârunt, & auxerunt indulgentiis

tiis, quas laudatus *Urbanus* Ecclesiasticis officiis per hujus festi octavam intersuturis impertitus fuerat. Concilium Trid. hanc institutionem novô decretô firmavit contra Sacramentarios huic festivitati oblatrantes.

III. Solemnis circumgestatio corporis Christi in Eucharistia, quæ multò magis Hæreticis stomachum movet, quàm prædicta festivitas. Porrò hujus circumgestationis quis est institutor? Non *Urbanus* IV. siquidem in bulla quæ incipit, *Transiturus*, ubi festivitatis corporis Christi prædictus Pontifex meminit, ne verbum quidem habet de processione. 2. peculiares indulgentias iis concedit, qui vel uni ex horis canonicis, quas speciatim recenset, intersuerint; nullas tamen iis annuit, qui intersuissent processioni. 3. Authores, qui *Urbano* suppares fuerunt, quiq; festivitatem recensent ab ipso institutam, de processione penitus siluerunt, ut videre est tùm in *Petro de Natalibus*, qui festivitatis meminit, silet verò de processione; tùm etiam in *S. Thoma*, qui licet *Urbani* IV. jussu SS. Sacramenti officium composuerit, proces-

sio-

ſionem prætermiſit omninò; eam tamen alioquin non prætermiſſurus; cùm res ſit non levis momenti. Nec à Martino *Papa* V. nec ab Eugenio IV. proceſſio, in qua Chriſti corpus circumgeſtatur, inſtituta fuit. Nam *Martinus* V. & *Eugenius* IV. de proceſſione loquuntur quidem; ille in bulla, quæ incipit: *Ineffabile Sacramentum*, data 26. Maji an: 1429. iſte verò in ſua conſtitutione *Excellentiſſimo* data die 26. Maji an: 1433. ſed ejus non meminerunt tanquàm rei, quam de novo inſtituerent, proindeq; proceſſio hujusmodi ſuam illis non debet originem. Veriſimile eſt ritum illum cæpiſſe poſt *Urbanum*, ſed ante *Martini* & *Eugenii* tempora; factitatum priùs in aliquibus privatis Eccleſiis ex Epiſcoporum & populi pietate, uſurpavit demùm tota occidentalis Eccleſia; nec mirum, ea enim, quæ ad diſciplinam ſpectant, obtinent aliquando ſine ſcriptis legibus; uſurpata à privatis Eccleſiis, ſenſim ſine ſenſu poſtea apud omnes invaleſcunt. *Eſpenceus* in ſuo de Euchariſtia libro conjicit, proceſſionis illius uſum cæpiſſe in Italia, ac deindè in alias orbis Chri-

ſtiani

stiani provincias invectum; nititur verò hâc narratione *historia*, inquit l. 2., *Mediolanensis sic habet: die Jovis 29. Maji annô 1304. corpus Christi solemniter, ut posteà factitatum est, per Papiam urbem circumferri cœptum fuit, decem plus minus centum annis ante Concilium Constantiense, in quo creatus Pontifex Martinus V. indulgentias ab Urbano pro festo datas duplicans, alias etiam addidit ejus festi vigiliam jejunantibus, & in festo communicantibus, & sequentibus eodem die Sacramentum; & quando ad infirmum defertur, quas rursum Eugenius IV. post duplicavit:* Illius historiæ Mediolanensis auctorem *Espenceus* laudat Donatum *Bosium.* Insuper constat *Gregorii* I. tempore in Ecclesiis Gallicanis Eucharistiam, peractô sacrificiô, delatam fuisse solemniter ad oratorium Episcopi, ad diem alium solemnem, quô iterum cum pompa deferebatur in templum; rem *Gregorio* Mag: æqualis *Gregorius* Turon: refert l. 1. de gloria Martyrum c. 86. In Hispaniarum Ecclesiis pauló post *Gregorii* Turon: tempora morem observatum fuisse, quô Christi corporis in processione circumgestationi antiquitas (secun-

cundum Espenceum) conciliatur, hæc nimirum can. 5. Synodi III. Bracarensis habitæ circa an: 654. legitur. In eum synodi Bracarensis canonem observare est. 1. non novam cudi consvetudinem, sed antiquam: demptô tamen abusu, confirmari. 2. non agi de circumferendis Martyrum, sed Eucharistiæ reliquiis; tùm quòd de Divinis mysteriis agatur, quorum nomine passim Eucharistia intelligitur; tùm etiàm, quod reliquias, quas recenset, *Arcâ Dei* contineri asserat, quâ quidem voce nullus è veteribus usus est, ut vasculum, quô includantur Martyrum reliquiæ, significet.

ARTICULUS III.
De Materia Eucharistiæ consecrandæ.

§. I.
De pane Eucharistico.

Ponimus tamquam certum, panem Eucharisticum esse solum panem usualem ex tritico & aqua naturali, calore ignis decoctum, fixum & solidum, adeoq; excludi a Sacramento grana quælibet, naturam veri tritici non habentia, mixtionem omnem lactis, aquæ rosaceæ, ovorum, alio-

aliorumq; id genus, quæ ad communem panem non pertinent: hæc quia facilia sunt, non putamus fusius debere tractari. In hoc ergo difficultas versatur, utrum panis Eucharisticus, azymus debeat esse, aut fermentatus? Qua de re orientis cum occidente vetus contentio est. Fermentatum more antiquo orientales, azymum Latini, quibus Armeni dudum in hac parte adhæserunt, usurpant. Quæritur utri agant convenientius? verùm huic quæstioni præmittere lubet, brevem aliquam notitiam de initio & progressu dissidii, quod hoc ex capite jam à pluribus sæculis exarsit Latinam inter & Græcam Ecclesiam.

Michaël Cerularius anno 1043. *Constantino* Monomacho imperante Patriarcha CPolit: inauguratus, virus decem annorum spatiô adversus Latinam Ecclesiam occultatum tandem evomuit, datâ suo, & *Leonis* Arridani Archi-Episcopi nomine epistolà, ad *Joannem* Trannensem in Apulia Episcopum anno 1053. in qua Romanam ac Latinam omnem dicteriîs & calumniîs proscindebat Ecclesiam, ritumq; in azymo consecrandi ipsi maximè

xime exprobrabat. Hæc Cerularii & Archi-Epiſcopi Arridani epiſtolâ *Umberto* Sylvæ candidæ exhibitâ, ab eodem latinitate donata *Leoni* IX. Pontifici M. delata fuit, qui Schiſmaticam eorum vanitatem & inſultus prolixâ, eruditâ, ac vehementi epiſtolâ redarguit, quæ prima eſt inter ejuſdem Epiſtolas in collectione Conciliorum. His *Michaël* receptîs epiſtolîs, ſive juſſu Imperatoris, ſive etiam minis civium ergâ Rom: Eccleſiam propenſiorum adactus, conciliatrices pacis literas ad eumdem Pontificem reſcripſit. Unitatem & concordiam, cujus ſe valde cupidum finxerat vaferrimus homo, ut inſtauraret, firmaretq; *Leo* IX. Legatos CPolim miſit menſe Januario inſequentis anni 1054. laudatum *Umbertum*, *Fridericum* Archidiaconum, & Cancellarium, ac *Petrum* Almaphicanum Epiſcopum cum literis ad Patriarcham & Imperatorem, quæ ſunt 6. & 7. in Conciliorum collectionibus. ConPolim cùm perveniſſent Legati, primam habuére concertationem cum *Niceta* Monacho, qui *Pectoratus* dictus eſt. Librum is conſcripſerat de azymo, de Sabathis; de nu-

ptiis

ptiis sacerdotum, adversus Romanam, Latinamq; Ecclesiam, quem *Umbertus* erudito scripto confutavit, a *Baronio* in appendice T. XI. Annal. evulgato sub hoc titulo: *incipit responsio, sive contradictio a Fratre Umberto Episcopo Sylvæ candidæ conscripta CPoli adversus Nicetam cognomento Pectoratum.* Fridericus quoq; Legatorum alter, ut refert Vibertus in vita Leonis IX. l. 2. c. 9. vehementer respondit quibusdam objectionibus ab eodem *Niceta* editis. Fidei tandem ac veritati magnô in lumine à Legatis positæ cessit *Nicetas*, librumq; suum igni tradidit coram ipsis, Imperatore approbante, omnesq; execratus est, qui Rom: Ecclesiæ primatum abnegarent, ejusq; fidem redarguerent. At *Michaël* Cerularius cum errorem suum deponere nollet, ac Legatorum colloquia devitaret, quin & ab Ecclesiis ad sacra celebranda interdixisset, ab iisdem in Ecclesia Sanctæ Sophiæ coram Clero, & populo cum Symistis anathemate percussus fuit: cujus exemplar legi potest apud *Baronium* ad annum 1054. n. 23. quibûs peractis Legati in Italiam remearunt.

Fusi-

Fuſiſſimum opus, quod CPoli conſcripſit *Umbertus* adverſus calumnias Græcorum, extat in citata appendice apud Baronium ſub hoc titulo: *incipit reſponſio Fratris Umberti ſanctæ Eccleſiæ Sylvæ Candidæ dictæ Epiſcopi.* Interim *Michaël* Cerularius in Legatos in Italiam revertentes excommunicationem tulit, ac Pontificis Rom: nomen è ſacris Dipticis delere auſus eſt. Virulentas etiam literas dedit ad *Petrum* Antiochenum, aliosq; orientis Patriarchas; quibus à communione Rom: Eccleſiæ eos devellere conabatur. Suo demum in errore obfirmatus obiit anno 1068. ut placet *Baronio*; vel inſequenti, ut probat *Paggius*, in exilio, quo relegatus fuit ab *Iſaco* Comneno. Quamquam verò *Michaëlis* Schiſma, in univerſam orientalem Eccleſiam propagatum non fuerit, non defuere ſuccedentibus temporibus Schiſmatici, qui diſſidium etiam quod azymorum caput attinet, cum Rom: Eccleſia foverent. Id colligi plane poteſt, vel ex eo tractatu, quem Ordin: Præd: Sodales CPoli ediderunt, adverſus errores Græcorum, eumdemq; primus typis vulgavit

vit *Petrus* Stevartius Ingolstadii anno 1616. ac poſtmodum in Bibliotecam Patrum intulere Colonienſes ſub hoc titulo: *Tractatus contra errores Græcorum editus CPoli in ædibus Fratrum Prædicatorum.* Sæculo eodem 13. in formula fidei a *Clemente* IV. ad *Michaelem* Paleologum miſſa, inter alios articulos quos Græci ſuſcipere deberent, hic etiam legitur: *Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Rom. Eccleſia tenens, ac docens, quod in ipſo Sacramento panis verè tranſſubſtantiatur in corpus Domini.* In actis præterea Concilii Lugdunensis Oecumenici a *Gregorio* X. celebrati, legitur epiſtola *Michaelis* Paleologi ad eundem Pontificem data anno 1274. quo idem Concilium inchoatum eſt, in qua, ſe credere profitetur, quidquid Romana tenet, & credit Ecclesia, ac inſertæ fidei formulæ ſupra deſcriptam propositionem, aliaſq; complectenti ſubſcribit. Tandem ſæculo XV. in Concilio Floren. anno 1439. celebrato, de hoc, etiam inter alia, argumento, diſputatum eſt; ac deniq: utriuſq; Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ inita unione conſtitutum in defi-

nitione Oecumenici Concilii: *in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici.* Concordiæ tamen Græci nequaquam ſtetere atq; hoc etiam ex capite diſſidium ſubinde inſtaurarunt. Unde *Jeremias* Patriarcha-CPolitanus in cenſura adverſus Auguſtanam confeſsionem cap. 10. aſſerit. *Chriſtum panem fermentatum conſecraviſſe, nec poſſe in azymo hoc Sacramentum confici, quod azymus non ſit verus panis &c.* Hîs positîs ad dubii explicationem accedamus, ac sit.

§ II.

Dico Nihil intereſt ad Sacramenti ſubſtantiam sive in azymo, sive in fermentato Euchariſtia conſecretur. Ita declaratum à Patribus Concilii Florentini: *definimus*, inquit, *in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici.* De hac ipſa re, longè ante cum magno rationum & auctoritatum pondere ſcripſerat *Leo* IX. undecimo ſæculo Pontifex M. in Epiſtola adverſus *Michaelem Cerularium* Patriarcham CPolitanum.

Prob-

Prob. 1. p. ab exemplo Christi. Ex historia Evangelicâ certum est, Christum eo tempore Eucharistiam instituisse, quo nullus apud Judæos erat usus panis fermentati, sed azymi ex præscripto legis comedebantur: *septem diebus*, dixerat Moyses Exod. 12. *azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicumq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die usq; ad diem septimum.* Et Levit. 23. *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperum phase Domini est; & quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.* Constat igitur, tota solemnitate paschali usum panis fermentati Judæis lege solemni fuisse prohibitum; atqui non minus ex Evangelio certum est, hoc ipso tempore esse Eucharistiam institutam: *prima die azymorum*, ait S. Matth. c. 26. *accesserunt Discipuli ad JESUM dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? at JESUS dixit: ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis: & fecerunt Discipuli, sicut constituit*

illis JESUS, & paraverunt Pascha: Vespere autem factô discumbebat cum duodecim --- cœnantibus autem eis accepit JESUS panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis & ait: accipite & comedite hoc est corpus meum. Similia leguntur Marci 14. Lucæ 22. ergo Christus panem azymum in Eucharistiæ institutione adhibuit: atq; adeo in eodem pane validè ac legitimè consecratur. Hoc argumentum eleganter prosequitur *Leo* IX. Pont. M. in posteriore epistola ad *Michaelem* Cerularium.

Prob. 2. p. ad consecrationem corporis Christi id omne sufficit, quod veri panis triticei naturam habet; atqui panis triticeus sive fermentatus sit, sive non, verus nihilominus panis est; cum ad ejus naturam plene sufficiat, quod ex farina triticea, cum aquæ naturalis admixtione coquatur; ergò.

Objic. 1. Græci. Materia Eucharistiæ debet esse verus panis; atqui veri panis naturam azyma non habet; ergo.

Resp. nego min. Nam præter receptissimam hominum opinionem, quæ verum panem in azymis, non secus ac in

fer-

fermentatis agnoſcit, ejuſdem rei fidem faciunt innumera teſtimonia ſcripturarum: *tolle vitulum de armento*: inquit Moyſes Exodi 29. - - - *paneſq; azymos, & cruſtulam abſq; fermento* - . - item *pones ſuper menſam* (tabernaculi) ait Deus , *panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*. Conſtat verò panes propositionis non alios fuiſſe, quam azymos. Item Judic. 6. *ingreſſus eſt Gedeon & coxit - - - azymos panes - - - cui dixit Angelus Domini , tolle carnes & azymos panes &c.* deniq; ne labore inutili congeram univerſa; in Evangelio legitur Lucæ 24. quod duo Diſcipuli cum Chriſto in caſtello Emmaus hoſpitantes, *cognoverint Dominum in fractione panis* ; atqui panis ille azymus neceſſariò fuit , cum diebus ipsis Paſchalibus apparitio illa contigerit; ergò falſo Græci contendebant azymum veri panis naturam haudquaquam habere.

Inſtant. Panis ex primitiva vocis origine dicitur à verbo *attollo*, hoc eſt *elevatus* , & *ſurſum portatus* nominatur ; atqui non habet panis nisi à fermento , quod elevetur & intumeſcat; ergo.

Reſp.

Resp. data maj. min. nego consequ Debilissimum est hoc argumenti genus, quod ex vocum etymologia petitur; quia quemadmodum nomina, ita & eorum explicationes, ab hominum arbitrio pendent; *illud quoq*; inquit Humbertus Cardinalis, *quod azymum negantes panem esse, per etymologiam hujus nominis, conamini nos vincere, sciatis omnino vanum & inutile, quia & à linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum hominum placitum magis, quam secundum naturam rerum.*

Inst. Atqui etiamsi azymus, verus panis aliquatenus dici posset, non esset tamen materia sufficiens ad Eucharistiam consecrandam. *Prob. sub.* materiam inter Sacramenti, & ejus effectum aliqua debet esse proportio; atqui azymum inter, & effectum Eucharistiæ nulla proportio reperitur; ergo.

Resp. conc. maj. nego min. Licet enim azymum inter, & effectum Eucharistiæ non sit convenientia adæquata, quam inter res tantopere dissitas, quales sunt natura & gratia, materia & spiritus, quærere insanum fuerit; aliqualem tamen

men esse haud immerito affirmamus, quanta scilicet ad salvandam Sacramenti rationem sat est.

Insist. Azyma insipida sunt; ergo non possunt effectum Eucharistiæ adumbrare, quæ & vitam dat, & saporem totius svavitatis in homine excitat.

Resp. conc. ant. nego conseq. azyma enim quantumvis insipida, corpus nihilosecius nutriunt, reficiuntq; ergo ea saltem causâ effectum Eucharistiæ quadam accommodatione significant: *sicut panis iste azymus vel fermentatus dat vitam transitoriam*, inquiebat S. Anselm. *ita corpus Christi* æternam.

Objic. 2. *Græci.* Christus ipse, eo, quo passus est anno, legale Pascha minime peregit; ergo inde colligi non potest, Eucharistiam quam instituit, in azymo pane celebrasse.

Resp. Hæc ipsorum evasio clarissimis Scripturarum textibus omnibus omnino adversatur, adeo, ut mirum plane sit, in quorumdam mentem incidere potuisse, satisq; est, ad ipsius futilitatem statim dignoscendam oculos in Evangelicam historiam vel cursim conji-

ce-

cere. Adverſatur etiam authoritati SS. Patrum, *Origenis* tract. 35. in Joan. *Epiphanii* hæresi 30. quæ eſt Ebionitarum. S. *Joan. Chryſoſt.* Homil. 81. in Matth: aliorumq;tum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ; quos ſpectans Photius in recenſione codicis 116. cujuſdam Anonymi eamdem tenentis ſententiam ait: *quod conſideratione ſane dignum: cum Chryſoſtomus & Eccleſia tunc Chriſtum doceant legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret cœnam.* Quare aliquorum si qui ſunt, qui contra ſenſerint, opinio flocci facienda eſt.

Conſectarium.

Græcos & Latinos habere ſuorum rituum cauſas congruentes. Illi enim utuntur fermentô, tum ut recedant a Judæis, quantum fieri poteſt longiſſimè; tum quia in admixtione tritici cum fermento, ineffabile Incarnationis myſterium ex Divinæ cum humana natura, in perſona Verbi unione conſurgens contemplantur ac repræſentant. Latini econtra hîs rationibûs innituntur. 1. Panis poſt tranſsubſtantiationem cor-

po-

poris Chriſti eſt Sacramentum. Quemadmodum igitur corpus Chriſti in puriſſimo Beatæ Virginis utero, sine ulla corruptione conceptum eſt, ita decet panem, qui ad Euchariſtiæ conſecrationem aſſumitur, corruptionis, adeoq; fermenti eſſe expertem. 2. Panis azymus magis idoneus eſt ad significandam munditiem, & animi puritatem, quæ ad tanti Sacramenti ſumptionem afferri debet. Nemini etiam liberum & integrum eſt, Ecclesiæ ſuæ mores ad arbitrium immutare, & leges invertere majorum authoritate ſancitas; atqui conſuetudo Græcorum ac Latinorum, uſu tam diuturno roborata vim legis habet; hinc in Concil. Florent. poſtquam definitum eſt: *in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici*, ſtatim adjectum: *Sacerdotes in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemq; ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive occidentalis ſive orientalis conſuetudinem.* Unde inferunt Canoniſtæ, Latinum graviter peccaturum, qui in ſua Ecclesia pane fermentatô uteretur, eumdemq; si scienter & conſultò hoc faceret, officiô &

be-

beneficiô privandum colligunt *ex cap. finali : extra de celebratione miſſarum.* An Græcorum conſvetudo antiqua eſt ? Ab ipsis Evangelii primordiis videri repetendam. Nam nullum proferri poteſt hiſtoricum monumentum, unde certò oſtendatur Græcos fermentati uſum more novo introduxiſſe. Ex antiquiſſimis Liturgiis notum eſt , Græcos panem turgidum, magnæq; molis ad ſacrificium attuliſſe , unde particulas conſecrandas incidebant cultello, quem *Lanceam* appellabant, propterea quod figuram ejus haberet , quæ latus Domini è cruce pendentis transfixit, eumdemq; morem retinent Græci hodierni , ut apud *Goarium* videre eſt. Non enim omnes ſocietates orientalium quæ Chriſtiano nomine gloriantur , fermentatum panem adhibent ; nam certum eſt, *Armenos* sive *Jacobitas* multis abhinc ſæculis in azymo conſecrare, ita enim *Demetrius Cyzicenus* in tract. de Jacobitarum hæresi, *Nicephorus* lib. 8. hiſtor. cap. 53. & alii pleriq; teſtantur. Idem de *Maronitis* affirmat, multiſq; probat argumentîs *Joannes Morinus* præfatione in *Maronitarum*

rum

rum ordinationes. Mutandi autem antiqui ritus cauſam illis fuiſſe, non exemplum Chriſti, non Rom. Ecclesiæ diſciplinam, quam imitari non geſtiebant, ſed hæresim. *Armeni* namq; corpus Dominicum, etiam ante ipsius reſurrectionem, incorruptibile eſſe effutiebant. Quem errorem ut in ſacris etiam myſteriis significarent, fermentum ab Euchariſtico pane eliminaverant; idemq; ipsiq; forte *Maronitæ* (quod enim certo neſcimus, aſſeverare non audemus) cum *Eutychianam* doctrinam amplexi eſſent, in azymo conſecrandam Euchariſtiam judicaverunt, ut naturæ in Chriſto unitatem, quam pertinaciter defendebant in ipſa ſacrificii materia oſtentarent: adeo proclive eſt, res optimas & ſapientiſſimè conſtitutas in uſum malum convertere.

Uſum azymorum apud Latinos antiquum eſſe: vetus enim merito conſuetudo cenſetur, cujus initium nullo canone, nullo præsidentium decreto, nulla deniq; certè authoritate præſcribi poteſt; quia antiquum merito creditur, quod non probatur de novo ſtatutum;

atqui quo primum tempore fuerint in Latinam Ecclesiam azymi panes invecti, probari certa authoritate non poteſt; ergo. Inſuper, Latini Patres communiter tradunt in conſecratione Euchariſtiæ insiſtendum exemplo Chriſti. Si quid verò in ſacris ritibus ab exemplo Chriſti animadvertunt eſſe diverſum, quæ fuerit cauſa mutationis explicant accuratè, sic e. c. cur à jejunis Euchariſtia percipiatur, quam poſt cænam Apoſtoli receperunt, rationem affert S. *Auguſt.* epiſt. ad Januarium 118. vel 54. *ut*, inquit, *in honorem tanti myſterii, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intret, quam cæteri cibi*, atqui de panibus azymis nec minimam movent quæſtionem; ergo. Accedit majorum auctoritas, quos, si eſſet neceſſarium, longo poſſemus ordine recenſere. Nec prætermittenda XI. ſæculo *Leonis* Papæ IX. authoritas in epiſt. ad Michaelem Cerul. *illud autem*, inquit, *quis non stupeat, quod post tot ſanctos & Orthodoxos Patres, poſt mille & viginti à paſſione Salvatoris annos novus, calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſisti, anathematizans omnes &*

pu-

publicam persecutionem excitans in eos, quicumq; participarentur ex azymis; constat itaq; usum azymorum in Latina Ecclesia esse antiquum. Hinc tamen demonstrari certò non potest, morem hunc statim ab initio Ecclesiæ ubiq; in occidente receptum. *Cardinalis* enim *Joannis Bona* Rerum liturgic. lib. 1. in epist. ad Joan. Mabillon. & quorumdam aliorum non levis est conjectura, putantium Apostolos, aliosq; primorum temporum Sacerdotes indifferenter usos fuisse, sive fermentato, qui communior & ubiq; obvius erat, sive azymo, qui parari data opportunitate facile poterat. Sæviente enim persecutione quando in carceribus, in privatis domibus, & in speluncis furtim ac clanculum sacrificium offerebant, eo pane oportebat uti, qui occurrebat: hæcq; fortè origo fuit, rituum dissimilium orientis & occidentis, quibus dare locum Apostoli potuerunt, modo azymum, modo fermentatum, prout ferebat occasio, offerrentes.

Azymorum usum sæculo VII. anti-

qui-

quiorem videri: conjecturam adſtruit Concilii Tolet. XVI. Canon. 6.

Nec dicas. Si azymorum uſus in Ecclesia Latina temporibus Photii viguiſſet, dubio procul morem hunc Latinis improperaſſet; atqui de azymis silet penitus; ergo.

Reſp. nego maj. Ideo enim Photius Latinis propter azyma nullam movit litem, quia ritum hunc ab ipſo Chriſti Euchariſtiam inſtituentis exemplo profectum bene noverat. Chriſtus namq; antequam Euchariſtiam inſtitueret, Paſcha Moyſaicum perfecit, adeoq; non aliter quam in azymo novum Paſcha conſecravit. Mirum itaq; non eſt, quod ab hac criminatione Photius abſtinuerit.

ARTICULUS IV.

De præcepto & effectibus Eucharistiæ ſumendæ.

§ I.

Utrum communio ſub utraq; ſpecie ſit omnibus neceſſaria?

Primis Ecclesiæ temporibus, imo duodecim & amplius ſæculorum decurſu, communionis fidelium ſub utraq; ſpe-

ſpecie, morem ubiq; communiter viguiſſe omnes conſentiunt; ſed quæſtio eſt inter Catholicos & Hæreticos controverſa; utrum cuilibet indiſcriminatim sit ex præcepto Divino neceſſaria?

Dico. Communionem ſub utraq; ſpecie Laicis nec à Chriſto præceptam, nec ad ſalutem neceſſariam.

Prob. 1. *ex Scriptura.* Ille non præcipit communionem ſub utraq: ſpecie, qui unam ſumentibus, eumdem promittit effectum ac communicantibus ſub utraq; ſpecie; atqui nihil minus promiſit Chriſtus unam tantum ſpeciem, quam utramq; accipienti; *ſi quis manducaverit ex hoc pane*, inquit Joan. c. 6. *vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: præterea, apud S. Lucam cap. 24. sic habetur de Diſcipulis Emmaus: *factum eſt, dum recumberet* (JESUS) *cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis & aperti ſunt oculi eorum: & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum*: quem locum S. Auguſt. expendens: *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*, inquit

quit, de cons. Evang. lib. 3. c. 25. *non incongruenter accipimus hoc impedimentum, in oculis eorum a ſatana factum fuiſſe, nè agnoſceretur JESUS, ſed tamen a Chriſto facta eſt permiſſio uſq; ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci.* Itaq; Diſcipuli Emmaus unitati corporis Chriſti, acceptô ex ejus manibus pane ſanctificatô participarunt, liberatiq; ſunt ab impedimento, quo eorum oculos, ne cognoſceretur ab eis JESUS, ſatanas obſtrinxerat; qui ſunt ſacræ communionis effectus; atqui gratiam hanc ſolius panis perceptione accepiſſe, tum S. Auguſt. affirmat; tum ſcriptura non obſcurè ſignificat, aſſerens, continuo Chriſtum ab oculis eorum evanuiſſe; ergo.

Prob. 2. *ex antiqua Eccleſiæ diſciplina.* Si exiſtimaſſet Ecclesia, communionem ſub utraq; ſpecie omnibus indiſcriminatim à Chriſto præceptam, & ad ſalutem eſſe neceſſariam, nemini unquam liberum reliquiſſet, ab alterutra ſpecie abſtinere; atqui à primis ipsis temporibus Laicis integrum fuiſſe ſub una, aut

ſub

ſub utraq; ſpecie Euchariſtiam ſumere, ſuggerit S. *Leo* Magnus S. P. ſerm. 4. de quadrag. Manichæos ab Eccleſia pelli jubens; qui cúm à vino velut fætu Diaboli abhorrerent; ad communionem tamen unà cum Catholicis irrepebant; & corpus Chriſti ſub ſola ſpecie panis ſumebant; quæ fictio locum ſanè non habuiſſet, niſi fuiſſet omnibus licitum, ſub una ſpecie panis communicare; ergò.

Objic. 1. Chriſtus Joan. 6. dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis;* ergo Divinum mandatum eſt ſub utraq; ſpecie eſſe communicandum.

Reſp. 1. Calvinianos aliosq; Sectarios, cúm negent eò loci de Euchariſtiâ Chriſtum eſſe locutum; hôc teſtimoniô uti in præſenti non poſſe.

Reſp. 2. *nego conſeq.* particula enim & ſenſum hic copulativum non habet, ſed disjunctivum; quaſi dictum à Chriſto foret: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, aut biberitis ejus ſanguinem &c.* neq; ex *Serm. illo apud Joannem cap. 6.* inquiunt Patres Trid. ſeſs. 13. c. 1. *rectè col-*

ligitur utriusq; speciei communionem à Domino præceptam esse - - - nam qui dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis: *Dixit quoq;* si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; *& qui dixit*, qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam, *dixit etiam*, panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: *& deniq; qui dixit:* qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo: *dixit nihilominus*, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Inst. Christus tam calicis, quam panis consecrati usum præcepit: *accipite*, inquit Matth. 26. *& comedite, hoc est corpus meum - - - bibite ex hoc omnes: hic est enim sangvis meus;* ergo particula *&* debet &c.

Resp. dist. ant. Christus utriusq; usum præcipit Apostolis & eorum in sacerdotio successoribus, *conc.* omnibus indiscriminatim, *nego.* Verba enim hæc ad solos Apostolos esse directa, tum ex ipso contextu evidens est; tum ex S. Mar-

co colligitur, qui cap. 14. præceptum Christi in hac ipsa cæna impletum narrat: *acceptô*, inquit, *calice dedit eis*, & *biberunt ex illò omnes*. Deinde quando Christus vult præceptum aliquod sine differentia ad omnes pertinere, determinatur vel ab ipsis verbis, & circumstantiis adjacentibus præcepti universalitas, ut cùm Marci 13. dixiſſet, *vigilate* & *orate*, illicò subjunxit: *quod vobis dico, omnibus dicò*, vel certe ex traditionis interpretatione; atqui præceptum de quo agitur, omnes universim obligare, nec ſcriptura insinuat, nec traditio docet, imò contrarium ex utraq; eruitur; ergò.

Insiſt. Ex verbis Apoſtoli generaliter ad omnes dicentis 1. Corint. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, & *ſic de pane illo edat*, & *de calice bibat*; ergò.

Reſp. *nego conſequ*. Hoc enim unum Apoſtolus ſuggerit, debere quemlibet adultum ſeipſum probare, antequam ad Euchariſtiæ communionem accedat; minimè verò præcipere communionem ſub utraq; ſpecie, velut ad Divinum inſtitutum neceſſariò pertinentem, verba ejus

immediatè præcedentia, ſatis, nisi fallor, insinuant. *Quicumq;* inquit, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini;* non dicit, *& biberit*, ſed, *vel biberit*, significans nimirum poſſe unum sine altero fieri; unô verbô, rem quidem, ſed non rei modum Apoſt. imperat; quemadmodum enim Chriſtus dicendo: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* rem quidem ſcilicet ablutionem præcipit, modum autem ipſum, quo ablutio fieret, aſpersione, infusione, aut immersione, fatentibus ipsis Adverſariis in individuo non præſcripsit; ita communio eſt quidem imperata divinitùs, ſed non modus ejus; cum sive ſub una, sive ſub utraq; ſpecie fiat, integritate rei contentæ, plena abſolutaq; sit: *ſi quis negaverit*, ait Concil. Trid. ſeſs 13. can. 3. *in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaq; ſpecie, & ſub ſingulis cujuſq; ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.*

Dicunt. Euchariſtia ſumenda eſt in memoriam Dominicæ paſſionis, ait e-

nim

nim Apoſt. 1. Corint. 11. *Quotieſcumq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* atqui sine utriuſq; ſpeciei ſumptione, memoria Dominicæ Paſſionis ac mortis eſſe non poteſt; cùm aliter quàm per utramq; ſpeciem ſeparatio corporis ejus à ſangvine non repræſentetur; ergò.

Reſp. 1. nego min. hoc ipſo enim quod una ſpecies ſumitur sine altera, significatur corpus fuiſſe à ſangvine ſeparatum; cùm corpus ſub ſpecie panis, & ſangvis ſub ſpecie vini ex vi verborum exiſtat.

Reſp. 2. diſt. min. sine utriuſq; ſpeciei ſumptione, paſſionis Dominicæ memoria perfectiſſima eſſe non poteſt, qualis in ſacrificio eſſe debet; *conc.* memoria ad Sacramentum ſufficiens; *nego min. & conſeq;* Euchariſtia ſacrificium eſt simul & Sacramentum; equidem quatenus ſacrificium, perfectè debet Chriſti paſſionis & mortis memoriam continere, quod sine utriuſq; ſpeciei ſumptione ex Divino inſtituto non fit, ſed ad Sacramentum una ſpecies ſufficit; cúm

re-

revera significet Chriſti corpus à ſangvine ſeperatum: *perfectio hujus Sacramenti*, inquit S. Thomas 3. p. q. 80. a. 12. ad 2. *ex uſu fidelium non dependet, ſed ex conſecratione materiæ; & ideo, nihil derogatur perfectioni ejus, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine, dummodo conſecrans ſumat utrumq:*

Objic. 2. Euchariſtia inſtituta eſt ad inſtar convivii; atqui sine cibo & potu convivium verum eſſe nequit; ergo.

Reſp. 1. Hoc argumentum, si cujus ponderis ſit, ipſos adverſarios premere; permittunt enim illi abſtemiis, ut à vino in Euchariſtiæ ſuæ perceptione abſtineant; eoſdemq; hoc non obſtante contendunt participes fieri corporis & ſangvinis Chriſti.

Reſp. 2. *diſt. min.* sine cibo & potu convivium corporale eſſe non poteſt, *conc.* ſpirituale & Sacramentale; *ſubdiſt.* non poteſt verum eſſe convivium, quantum ad rei modum externum, *conc.* quantum ad rem ipſam, *nego min.* & *conc.* Quemadmodum corporale convivium, cibum & potum neceſſariò requirit; ita Chriſtus in convivio ſuo vo-

lu-

luit obſervari: *accipite*, inquit, *& manducate, hoc eſt corpus meum; accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus*; cùm itaq; fidei sit totum Chriſtum ſub unaquaq; ſpecie contineri, conſequens eſt, in qualibet divisim verum eſſe convivium, quantum ad rem, etsi integrum ex modo externo non videatur.

§ II.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

P*rimus* effectus Euchariſtiæ eſt gratia, cui ſecundariò adjungitur refectio ſpiritualis dulcedinis; quatenus, non ſolùm continet Chriſtum authorem gratiæ, & ejus paſſionem repræſentat, ſed confertur per modum cibi & potus; atq; ideo habet ad vitam ſpiritualem omnem effectum, quem habet cibus materialis ad vitam corporalem; ſuſtentat, auget, reparat, delectat; unde *qui manducat me, vivet propter me* Joan. 6. De hoc primario effectu Euchariſtiæ plura dicta ſunt de Sacramentis in communi. Sacramentum Euchariſtiæ non cauſat per ſe primariò primam gratiam re-

remiſſivam peccati mortalis, ſed ſecundam tantùm; quia eſt inſtitutum ut alimentum ſpirituale, *caro mea verè eſt cibus.* Joan. 6. alimentum autem ſupponit vitam in eo, qui ſuſcipit. Per accidens tamen & ſecundariò poteſt cauſare primam gratiam remiſſivam peccati mortalis; sicut Sacramentum mortuorum, ut Pænitentia, poteſt per accidens cauſare ſecundam gratiam.

Secundus effectus Euchariſtæ eſt adeptio gloriæ, quatenus Chriſtus, qui eſt gloriæ largitor, in eo continetur, ut cibus nutriens & confortans animam in bono, quo poſſit perſeverare uſq; ad tempus, quo gloriâ donabitur; unde dicitur: *pignus futuræ gloriæ.*

Tertius effectus eſt Remiſſio peccatorum venialium, quam dupliciter operatur. *1mo*: immediatè & directe, quatenus eſt cibus animæ: sicut enim cibus corporalis reſtaurat vires, quæ quotidie deperduntur per calorem naturalem, ita cibus ſpiritualis reſtaurat vires ſpirituales, quæ quotidie deperduntur per calorem concupiſcentiæ; ſupponit reſolutio communicantem, non ponere obicem, re-

ti-

tinendo affectum ad peccata venialia. 2do: mediatè & indirectè per rem Sacramenti, quæ augetur in hoc Sacramento, non ſolum quo ad habitum, ſed etiam quo ad actum & fervorem, qui cum repugnet peccato veniali, illud tollit. Unde Trident. ſeſs. 13. cap. 2. vocat hoc Sacramentum antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur.

Quartus effectus Euchariſtiæ eſt remiſſio pænæ peccato debitæ, ſed diverſimode. Si Euchariſtia consideretur ut Sacramentum, non remittit pænam directè, quia non eſt inſtituta ad ſatisfaciendum, ſed ad nutriendum, & uniendum cum Chriſto, quod non impeditur per pænam, dimiſſa culpâ; unde ſub hac ratione non dimittit pænam, niſi conſequenter & indirectè, quatenus excitat fervorem charitatis. At si consideratur ut ſacrificium, quod eſt ſatisfactorium, directè & per ſe remittit pænam, non tamen ordinariè totam, quia in ſatisfactione magis attenditur affectus ſatisfacientis, quam quantitas oblationis.

Quin-

Quintus effectus Euchariſtiæ eſt præſervatio à peccatis futuris, quod fit dupliciter, 1*mo*: quatenus auctâ charitate & unione cum Chriſto, per hunc cibum anima fit robuſtior contra interiora corruptiva. 2*do*: quatenus cúm sit signum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt Dæmones, ad eam expaveſcunt, nec tamen impugnant, quantum impugnare vellent. Et ideo Trid. ſupra citatum dicit: quod sit *antidotum, - - - quo a peccatis præſervemur.*

DIGRESSIO HISTORICA.

De communione Laica.

Sacerdotibus & aliis Clericis in pænam alicujus gravioris criminis denegabatur olim communio clericalis, & concedebatur tantum communio laica, de qua mentio habetur apud *Syricium* Papam epiſt. 1. c. 11. in *Concilio Eliberitano* can. 76. *Sardicensi* can. 1. & 2. *Agathenſi* can. 33. *Toletano* I. cap. 4. *Bracarenſi* I. can. 31: & alibi. Quid sit autem iſta communio laica non conveniunt eruditi.

Dico 1. Communio laica non videtur fuiſſe illa, in qua una ſpecies tantúm conferebatur, clericalis, in qua utraq; ſpecies, quia hîs temporibûs quibus conditi fuerunt canones, etiam laici poterant communicare, & ſæpe communicabant ſub utraq; ſpecie.

2do: Neq; communio laica intelligi poteſt communio Sacerdotum, quibus non permittebatur conſecrare, ſed ſolum de manu alterius hoſtiam ſumere; quia communio laica imponebatur, etiam in pænam inferioribus clericis, qui conſecrare non poterant.

3tio: Communio laica non poteſt intelligi, prout opponitur functionibus & privilegiis clericorum, quasi redigi ad communionem laicam sit, communicare cum cæteris fidelibus in participatione Sacramentorum, in orationibus & bonis operibus more laicorum tantúm; at quo ad munia & privilegia Eccleſiaſtica, non haberi amplius pro clerico ſed pro laico; non videtur, inquam, hæc interpretatio admittenda, quia in laudatis canonibus agitur ſpecialiter de communione Euchariſtica, & non de

ea.

ea, quæ dicitur communio Sanctorum; iis enim ſtatuitur, ut Clerici lapsi poſt peractam pænitentiam tempore definito, vel in articulo mortis, communione laica donentur, & Euchariſtiam more laicorum ſumant. Reſtat ergo explicandum, quid interſit inter hanc communionem laicam & clericalem.

4to: Plures cenſent communionem laicam eam eſſe, quæ fit in loco deſtinato laicis, clericalis, quæ fit in loco deſtinato clericis; notum eſt enim olim Sacerdotes & Clericos communicaſse ante altare in choro, ſeu intra cancellos; laicos verò extra chorum & cancellos. Unde in Concilio Laodicenſi can: 19. legitur: *Solis miniſtris altaris liceat ingredi ad altare, & ibi communicare.* In Bracarenſi can: 31. *Ingredi Sacrarium ad communicandum non licet laicis, niſi tantum clericis.* Similiter in Tolet: IV. can: 17. Hæc interpretatio, quamvis ſecundum quid vera, videtur tamen inſufficiens, niſi aliquid addatur; quia *Felix* III. epiſt: 1. de Clericis rebaptizatis dicit: *Communio laica tantum in morte eſt illis reddenda.* Et Concil: Sardic: can: 2. de Epiſco-

ſcopo ambitioſo dicit: *ne laicam in fine communionem accipiat.* Diverſitas autem locorum in communicando in Eccleſia, ſervari non poteſt in communione moribundi. Scio doctiſſimum *Sylvium* reſpondere in his textibus communionem vocari laicam, non ex loco, in quo actualiter fiat, ſed ex loco in quo fieri debebat, ſi ad Eccleſiam ire poſſet morti proximus. At videtur aliis hæc explicatio aliquatenus violenta. Unde.

5to: Veriſimilius videtur, quod communio laica differat à clericali, & quantum ad locum, & etiam quantum ad modum, quatenus Sacerdotes & Clerici communicabant cum quadam cæremonia, & certo ornatu, non verò laici, ſicut apud nos Sacerdotes communicant cum ſtola, & ſecundum hoc poteſt intelligi communio laica in morte.

ARTICULUS V.
De Miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ.

Duplex eſt Euchariſtiæ miniſter, unus conſecrationis; alter diſpenſationis; de utroq; dicturi ſumus.

Dico.

Dico 1. Soli Sacerdotes ſunt miniſtri conſecrationis Euchariſtiæ, ſic, ut præter illos nullus poſſit validè conſecrare.

Prob: ex Script: Hi ſoli poteſtatem habent conſecrandi Euchariſtiam, quibus Chriſtus illam contulit; atqui ſolis Apoſtolis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus illam poteſtatem contulit, cùm dixit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; ergò. *Prob: min' 1mo.* quia hæc verba Concil: Trid: ſeſs: 22. cap: 1: ſic intelligit: *eiſdem*, inquit, Apoſtolis, *eorumq; in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerent, præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem. 2do*: quia licet iſta verba prout continent ſumptionem, poſſint intelligi de omnibus fidelibus, prout tamen important conſecrationem, non niſi de Apoſtolis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus poſſunt intelligi; alioquin ſequeretur quod laici & mulieres non ſolùm poſſent, ſed etiam præcepto tenerentur conſecrare, quod non admittunt Hæretici; ergò.

Dico 2. Miniſter ordinarius & ex officio diſpenſationis Euchariſtiæ eſt Sacerdos.

Prob:

Prob: ex Concil: Trid: ſeſs: 13. cap: 8. ubi dicitur: *ſemper in Eccleſiâ Dei hunc morem fuiſſe, tanquam ex Apoſtolica traditione deſcendentem, ut laici à Sacerdotibus Euchariſtiam acciperent.*

Dico 3. Diaconus habet vi ſuæ ordinationis, ut poſſit ei committi diſpenſatio Euchariſtiæ. Quia cùm Diaconus ſit propinquus ordini Sacerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut ſcilicet diſpenſet Euchariſtiam ex commiſſione, eo modô, quo diximus Sacerdotem habere vi ordinationis ſuæ, ut poſſit ei committi collatio confirmationis.

Prob: inſuper praxi priorum ſæculorum, in quibus Diaconi paſſim ex commiſſione Epiſcoporum, vel Presbyterorum ſivè generali, ſivè ſpeciali Euchariſtiam miniſtrabant. Ita conſtat ex Concilio Nicæno I. generali can: 14. vel ſecundum aliam verſionem can: 18. ubi de Diaconis reſpectu communionis ſtatuitur, quod *ſi non fuerit in præſenti vel Epiſcopus vel Presbyter, tunc ipſi proferant & edant.* In Conc: Carthag: IV. annô 398. can: 28. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo,*

ſi

si necessitas cogat, jussus eroget. Ex S. Justino Apolog. 2. ubi dicit: quod *Diaconi darent singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.* Ex lib. 8. Constit Apost. quæ S. Clementi tribuuntur cap. 28. *Oblatione verò ab Episcopo vel Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo; non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris.* Ex Cypriano tract: de lapsis ubi dicit Diaconum præsentibus calicem offerre; ex dicto S. Laurentii ad Xystum; ex ordine Rom: in quo dispensatio Eucharistiæ tanquam officium Diaconi recensetur. Ex Gelasio I. epistola ad Episcopos Lucaniæ. Ex Concil: Arelat II. anno 452. c. 15. Ex Concil: Aquisgranensi anno 816. c. 7. *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est;* ergò.

Observanda circa præfata testimonia.

Imò: quandoq; in his testimoniis fieri mentionem commissionis specialis, quandoq; innui generalem tantum. Item quandoq; requiri necessitatem & absentiam Presbyteri, ut Diaconus Euchari-

stiam

ſtiam diſpenſet, quandoq; non requiri: quod factum arbitramur ſecundum variam diſciplinam diverſarum Eccleſiarum, & diverſorum temporum. *2do:* Hanc commiſſionem ſivè generalem ſivè ſpecialem factam Diaconis, non ſemper reſtringi ad diſpenſationem ſangvinis, ſed etiam extendi ad diſpenſationem corporis; undè cùm S. Thomas hic ad 1. loquitur de commiſſione facta Diaconis diſpenſandi calicem tantùm, intelligit ſecundum morem, qui circa ſua tempora invaluerat, ea probabili ratione quam profert, quod ſangvis Chriſti contineatur in vaſe, nec adeo neceſſe ſit tangi a diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti. *3tio:* Hunc uſum committendi Diaconis diſpenſationem Euchariſtiæ, jam diu apud nos exoleviſſe, ideo id nunc non licere niſi forte in neceſſitate; puta urgente tempore communionis paſchalis, aut lucrandi Jubilæi, Sacerdos infirmus poſſet, ut quidam volunt, committere Diacono diſpenſationem Euchariſtiæ. *4to:* Secundum communem ſententiam, Diaconos in periculo mortis poſſe ſine commiſſione ſpeciali & ex-

preſſa, ſibi vel aliis viaticum miniſtrare, ſi deſit Sacerdos; aut ſi præſens irrationabiliter recuſet dare; idq; vel ex præſumpta commiſſione benignæ matris Eccleſiæ, quæ non vult ſuos filios in hoc agone, tantô ſubſidiô defraudare, vel vi commiſſionis generalis, in quibuſdam canonibus laudatis factæ. *5to*: Hoſtiæ conſecratæ diſpenſationem, ſivè per Diaconos ſivè per Presbyteros olim non fieri, ſicut nunc infundendo ori communicantium, ſed tradendo in eorum manus, quam vel ibidem conſumebant, vel domum deferebant tempore opportuno ſumendam, præſertim tempore perſecutionum, ſicq; ſibi miniſtrabant ſecundariò & minus principaliter applicando ad os. Ita conſtat ex Cyril: Jeroſ: catech: 5. Myſtagogica; ubi hæc habet: *accedens ad communionem, non expanſis manuum velis accede, neq; diſjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjiciens dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe dicens: amen.* Ex Tertull: lib: 2. ad uxorem cap: 5. ubi enumerans incommoda viri gentilis cùm uxore Chriſtiana: *non ſciet*, inquit; *maritus*

tus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur. Ex Baſil: epiſt: ad Cæſariam Patriciam, ubi probat hanc diſciplinam ex diuturna conſvetudine etiam extra tempus perſecutionis: *omnes enim,* inquit, *qui ſunt in deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem ex ſe ipſis eam ſumunt: Alexandriæ enim & in Ægypto unuſquiſq; ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi ſuæ - - - etenim in Eccleſia Sacerdos tradit particulam, & cum omni poteſtate & libertate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam adducit.* Eundem morem ſervari ſupponit Hieronym: apolog: adverſus Jovin. Hoc autem erat diſcrimen inter viros ac mulieres, quod viri hoſtiam reciperent nuda manu; mulieres verò in linteolo mundo, quod ideo vocabatur *Dominicale.* Conſtat ex Auguſt: ſerm: 252. de temp: *Mulieres,* inquit, *quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Chriſti corpus accipiant, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant.* Ex Concil: Antiſſiodor: annô 578. can: 36. *non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere,* & aliis. *6to:*

Hos ufus paulatim in Ecclefia defiviffe. Imprimis prohiberi cæpit in quibufdam Conciliis Provincialibus, Euchariftiam extra Ecclefiam confumere; Synodus Cæfar-Auguftana annô 381. can: 3. fic ftatuit: *Euchariftiæ gratiam, fi quis probatur, acceptam non confumpfiffe in Ecclefia, anathema fit in perpetuum.* Tolet: I. annô 400. c. 14. *Si quis acceptam a Sacerdote Euchariftiam non fumpferit, velut facrilegus propellatur.* Deinde fuit prohibitum Euchariftiam in manus laicorum tradere, capite: *Pervenit* 29. de Confecr: D. 2. ex Concil: Rhemenfi. Tandem confvetudine contraria, quæ vim legis habet, ubiq; introductum eft, ut hoftia á Sacerdote, non in manus tradatur, fed ori infundatur ibidem confumenda.

Ex his inferes: quod quamvis abfolutè loquendo Ecclefia & S. Pontifex ex plenitudine poteftatis poffit difpenfare, ut Clerici, Diacono inferiores, imo & laici fibi vel aliis Euchariftiam diftribuant, faltem minùs principaliter & applicando ad os; aut ad alios deferendo, quod à Sacerdote receperunt, ut fiebat

olim,

olim, & legimus dispensatum a S. Pio V. ut Regina Maria Stuart seipsam in carcere communicaret; attentâ tamen præsenti Ecclesiæ disciplinâ, nulli ex prædictis magis licet etiam in articulo mortis se aut alios communicare, quàm Sacerdoti sine vestibus sacris celebrare. Unde S. *Thomas in 4. dist. 13. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3.* postquam dixit: cuilibet licitum esse tangere corpus Christi in necessitate, ut si in aliquo loco immundo caderet, addit: *sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia receptio hujus Sacramenti non est necessitatis: unde ei, qui non potest Sacramentaliter manducare, dicendum est, crede & manducasti.*

ARTICULUS VI.
De Eucharistia, ut est Sacrificium.

Sacrificium propriè dictum definitur: *oblatio rei sensibilis a legitimo ministro facta DEO per realem immutationem, ad testandum ejus supremum Dominium, & subjectionem nostram.*

Dico. Missa est verum & propriè dictum sacrificium *Est de fide decisum in Concil: Trid: sess: 22. can: 1. contra Lutheranos,*

&

& Calviniſtas, qui volunt, nullum eſſe in nova lege ſacrificium, niſi ſacrificium ſpirituale bonorum operum.

Prob: 1. ex Prophetia Malachiæ cap. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur; & offertur nomini meo oblatio munda.* Duo importat hæc prophetia, nempe: rejicienda fore ſacrificia Judæorum, & illis ſubſtituendum fore novum; non enim obſtat, quod dicat, *ſacrificatur & offertur* in præſenti; id enim familiare eſt Prophetis, ut propter certitudinem prædictionis, futura quaſi præſentia aut præterita enuntient, ùt illud Pſal: 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, & plura alia; atqui per illud novum ſacrificium antiquis ſubſtituendum, non poteſt aliud intelligi quám ſacrificium miſſæ; hæc enim eſt oblatio munda, corpus ſcilicet & ſangvis Chriſti, quæ in omni loco Deo offertur. *Si dicas cum Hæreticis:* poſſe intelligi ſacrificium crucis, vel ſacrificium ſpirituale bonorum operum.

Con-

Contra primum eſt, quod ſacrificium crucis non fuerit oblatum in omni loco, ſed in uno loco Judææ. Contra ſecundum, ſacrificium ſpirituale bonorum operum non eſt novum, nec ſubſtituendum loco antiquorum ſacrificiorum, fuit enim ab initio mundi.

Prob: 2. Hebr: 7. & Pſal: 109. Chriſtus dicitur *Sacerdos ſecundum ordinem,* ſeu ritum: *Melchiſedech;* atqui Chriſtus non poteſt dici Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi ex ſimilitudine rei oblatæ in ſacrificium, ſcilicet panis & vini, quæ obtulit Melchiſedech Gen: 14. Quamvis enim Melchiſedech poſſit dici figura Chriſti propter varias alias ejus dotes, quas Apoſt: Hebr: 7. enumerat, non poteſt ex his dici Sacerdos ſecundum ordinem ſeu ritum Melchiſedech; alia quippe eſt ratio figuræ, alia ritûs & ordinis ſacrificii; ad rationem figuræ ſufficit, ut ſigna præceſſerint, ad ritum ſacrificii requiritur ſimilitudo rei oblatæ; hinc Abel, Iſaac, Moyſes fuerunt figuræ Chriſtr, non poteſt tamen dici Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Abel, aut Iſaac, aut Moyſis.

Prob:

Prob: 3. ex traditione, quam eruimus ex Patribus, quos nobis concedunt Hæretici, dicit enim *Lutherus* de Missa priv. *Hic non moramur, si clamitent Papistæ: Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres; quia ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis curamus, scimus enim lapsos Prophetas ipsos esse adeoq; Apostolos: verbô Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoq; ipsos Angelos.*

Prob: 4. Nihil deest missæ ad rationem sacrificii veri & perfecti; ergò. *Prob*: *ant*: Adest oblatio rei sensibilis, scilicet corporis & sangvinis Christi sub speciebus panis & vini; minister legitimus, Christus principalis offerens Sacerdotum ministerio; immutatio materiæ, mystica scilicet, quatenus corpus & sangvis vi verborum separantur; cultus supremi Domini, quia Deo offertur; tandem locus necessarius, nempe altare; ergò.

Objic: 1. Secundum Apostolum Hebr: 7. non est in nova lege, nisi unus Sacerdos scilicet Christus, dicit enim: *alii quidem facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium;* ergò si nullus sit in

Ec-

Ecclesia Sacerdos præter Christum, nullum est aliud sacrificium præter illud cruentum, quod in cruce obtulit.

Resp: *dist*: *ant*: Non est in nova lege, nisi unus Sacerdos principalis, *conc*: ministerialis, *nego*. In hoc ergò situm est discrimen, quod Apost: statuit inter Sacerdotes antiquæ legis & novæ, quod Sacerdotes antiquæ legis, cùm morte prohiberentur permanere, haberent Sacerdotes in eodem gradu dignitatis & potestatis; sic Aaroni successit Eleazar, Eleazaro Phinees, & sic de cæteris; in nova autem legè cùm Sacerdos Christus maneat in æternum, non habet successores in eadem dignitate, excellentia & potestate, habet tamen ministros & vicarios, sicut summi Sacerdotes, in antiqua lege, dum viverent, habebant inferiores Sacerdotes ut ministros & vicarios; imo ex hoc, quod Christus maneat Sacerdos in æternum, & per se nunc non offerat sacrificium, necesse est, quod habeat inferiores Sacerdotes, ministros, & vicarios, qui in ejus loco & persona sacrificium offerant.

Inst: Juxta eundem Apost: ibidem, est

uni-

unicum in Ecclesia crucis Sacrificium dicit enim: *qui*, Christus, *non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, se offerendo*; ergò.

Resp: dist: ant: Est unicum in Ecclesia sacrificium, quò ad substantiam; *conc*: quò ad modum, *nego*. Sacrificium itaq; Missæ idem est quo ad substantiam, cùm sacrificio crucis; quia idem est in utroq; Sacerdos, eadem hostia Christus, & differt tantùm quò ad modum offerendi, quatenus in cruce fuit cruentum, in altari est incruentum: *una est eademq; hostia*, inquit Trid: sess: 22. cap: 2. *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*.

Objic: 2. In sacrificio rei viventis requiritur mactatio, seu occisio victimæ; atqui Christus, qui secundum nos est victima, in Missa non occiditur; ergò.

Resp: *dist: maj*: In sacrificio rei viventis ut viventis requiritur occissio victimæ, *trans*: Potest enim negari siquidem hircus Levit: 16. offerebatur vivus, nec tamen occidebatur, sed emittebatur in desertum; sufficit ergò quædam

immu-

immutatio victimæ vergens in ejus destructionem, ut deterriorationem. Victimæ in statua quasi mortuo oblatæ, *sub dist:* requiritur occisio cruenta & physica, *nego*; incruenta & mystica, *conc*; Hæc autem reperitur in sacrificio Missæ, in quo vi verborum separatur sangvis á corpore; & hæc sufficit ad Sacrificium incruentum, quale est sacrificium Missæ figuratum per sacrificium incruentum Melchisedech.

Objic: 3. Missa est inventum humanum; ergò. *Prob*: *ant*: Varii ordines Missæ seu Liturgiæ habent homines auctores, primi dicuntur S. Jacobus & S. Marcus, deinde Basilius, Chrysostomus & alii. ergò.

Resp: *dist*: *ant*: Missa quantùm ad varias cæremonias & preces est inventum humanum, *conc*: quantùm ad substantiam sacrificii, *nego*. *Imò argumentum sic retorqueo in Hæreticos.* Liturgiæ cujuscumq; sint auctoris, sunt antiquissimæ; ergò tunc offerebatur in Ecclesia incruentum Missæ sacrificium; atqui non est verisimile homines novum invexisse sacrificium nemine reclamante, sed èccontra universa Ecclesia approbante; ergò.

DISSERTATIO V.

De Sacramento Pænitentiæ.

Protestantes sævière in Sacramenta, maximè verò in pænitentiæ Sacramentum, quo & peccatorum confessione & dignis satisfactionibus commissa expiantur crimina; quocirca ne quid molesti ad compescendam túm carnis, tum oculorum concupiscentiam contingeret, nonnisi mendacem admiserunt pænitentiam, quæ juxta eos in sola fide, & Christi passionis memoria quibûs, cuncta remitti peccata putant, sita est, sed contra, quod ipse Christus ait: Lucæ 13. *nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

ARTICULUS I.

Utrum pænitentia sit novæ legis Sacramentum?

Nomine Pænitentiæ Sacramentalis intelligimus *Sacramentum à Christo Domino institutum, ad delenda peccata post baptismum commissa.* In tribus potissimum con-

consistit, videlicet in contritione, in peccatorum confessione, & in satisfactione; quia verò Hetorodoxi duo præ cæteris in hoc Sacramento impugnant, videlicet rationem Sacramenti, & peccatorum Sacerdoti faciendam confessionem, operæ pretium est, ostendere pænitentiam esse Sacramentum novæ legis propriè dictum; deinde verô confessionem esse necessariam veluti unam inter partes Sacramenti Pænitentiæ essentialem; ad complementum de pænitentia publica sermonem instituemus; sed ante omnia recensendi sunt ii, qui Pænitentiæ Sacramentum impugnârunt.

§ I.

Historia critica Montani & Cataphrygum.

Montanus ex Phrygia oriundus annô 181. *Commodo* Imperatore, *Sotero* verò Christi Vicario Summo Pontif: juxta *Hieron*: eunuchus erat, aquîs quidem sacri lavacri tinctus, sed propriæ excellentiæ gloriâ elatus, imò & insatiabili primatûs cupiditate incensus, cæcô impetu Prophetam primo se profiteri non erubuit; comites in hoc habuit duas

duas nefandas meretrices, *Priſcillam* ſcilicet & *Maximillam*, quibus inſaniæ ſuæ afflavit ſpiritum; quæ quidem furioſè & ineptè, & novô atq; peregrinô modô garrientes, falſa pro veris tamquam Prophetiſſæ pandebant. Deinde verò novîs dogmatibûs novæ ſectæ auctor non ſine omnium ſtupore ille *Montanus* apparuit: quam tâmen doctrinam mente verſipelli diſſeminabat, ſed ſimplicibus commenta, ſapientioribus verò quædam ſpecie veri prædicare ita ſtudebat, ut confeſſione fidei in ſenſu obvio non nihil per omnia orthodoxa ſummo illuſerit Pontifici; quocirca unionis ac pacis literas per Phrygiam & Aſiam ei conceſſit. Sed ut primum vel ipſe Praxeas illius apud Rom: Pontif: fraudes detexit, revocatîs literîs ab Eccleſia ejectus eſt.

Ille Hæreſiarcha primus fuit, qui bellum apertum Pænitentiæ Sacramento in mundúm invexit; quippè qui veniam omnibus penè delictis ab Eccleſia concedi poſſe negaret. Hic, modô promiſſorum magnitudine, modô conjecturis & rationibus, modo etiam inſectando

pec-

peccatores, non paucos alliciebat, qui ejus doctrinæ velut fideliſſimi Diſcipuli adhærebant; innumeros verò prope pecuniîs & muneribûs ſibi devinciebat, ut refert *Apollonius*, qui & Montani, & ejus Prophetiſſarum mores atq; doctrinam eleganti perſtringit calamo apud *Euſebium* lib: 5. hiſt: cap: 17.

Cataphrygum hæreſis authore *Montano* magnas in Eccleſia movit tragædias; hinc multiplicatâ de die in diem venenosâ ſobole, verſus *Antonini* Pii tempora, ut ſcribunt *Epiphanius* hæreſi 48. *Euſebius* lib: 4. Hiſt: cap: 26. ſub Marco *Aurelio* adolevit, & in immenſum diffuſa eſt, ut colligitur ex eodem *Euſebio* ibidem, & in Chronico. Inter præcipuos *Montani* & *Cataphrygum* errores, hic etiam fuit, quod lapſis omnem, ita ſubripiebat indulgentiæ locum, ut nullâ quantumvis maximâ ſatisfactione ſuorum delictorum veniam adipiſci poſſe propugnaret. *Tertullianus* lib: de Jejun: adverſus Phſych: cap: 13. ſubindigitat, diverſis in conciliis iſtos errores à Græcis fuiſſe proſcriptos. *Apollinaris* Hierapolitanus Epiſcopus eoſdem inſectatus eſt: apud *Euſeb;* lib: 11. cap: 16.

16. ſcribitq; in multis Aſiæ Synodis Cataphrygas fuiſſe damnatos. Eccleſia Gallicana & *Montanum* & ſuos anathemate percuſſit; apud eundem *Euſeb:* lib: 5. Hiſt: cap: 3. Eoſdem confutarunt *Apollonius* & *Meltiades*; de prioris pro hoc momento ſcriptis loquitur *Euſeb:* lib: 5. hiſt: cap: 17. poſterioris acta commemorat cap: 16. *Seraphion* & alii præſtantiſſimi iſtorum temporum Theologi, hujuſce furfuris homines ſuo perſtrinxerunt ſtylo cenſorio.

Hiſtoria II. critica Hæreſis Novatianorum.

Novatianus, Montani circa pœnitentiam errores jamjam proſcriptos exſuſcitavit; *Novatus* ipſi conflandi ſchiſmatis auctor fuit, & hæreſeos adverſus pænitentiæ Sacramentum infenſiſſimus architectus. *Euſebius*, *Epiphanius*, *Theodoretus* iſtum cum Novatiano confundunt; contra verò ſecernunt S. *Cornelius* Papa, S. *Cyprianus*, S. *Pacianus* & alii complures. Et vero *Novatus* Presbyter Carthaginenſis erat, & quidem graviſſimorum criminum reus; ut autem Epi-

ſco-

ſcoporum declinaret anathemata, ab urbe Carthagine furtim diſceſſit, & Romam appulſus, *Novatianum* ſuis & rebellionibus & erroribus fædavit: ergo *Novatianus* in lecto decumbens omiſsis ſolemnitatibûs, baptizatus, contra ſtatuta canonum, qui prohibent hujuſmodi tinctos ad ſacros promoveri ordines; Presbyter tamen non ſine fraude factus, Epiſcopus deinde & Summus Pontifex violentiâ & molitione ſuorum, ſedente legitimo Pontifice *Cornelio*, inauguratus eſt. Vixit ſub *Galli* & *Voluſiani* imperio circa annum 250. Eccleſiam primum ſchiſmate; tum hæreſi dilaceravit. Et vero dignitatem Papalem; tametſi ſcelere obtentam, omnibus tamen modis, nova addendo crimina, tueri conatus eſt; quippe qui eos, quibus ſacram porrigebat Euchariſtiam, per corpus Domini jurare compelleret, ſe numquam ad *Cornelium* reverſuros. Hæc & ſimilia ovili pelle indutus lupus peregit, ut diſperderet gregem Domini.

Vix ac ne vix quidem Anti-Papa factus *Novatianus*, quod omnia tentaverit non ſolum, ut ſimplices, ſed & viros in

Ecclesia perillustres ad suum perduceret schisma. Primum quidem Legatos direxit ad S. *Cyprianum* Carthag: Episc: qui, ejus pro se expostulata communione, ab ea libellis accusationis adversus S. *Cornelii* ordinationem pium divellerent Pontificem. Quibus auditis & ponderatis S. *Cyprianus* Romam misit *Caldonium* & *Fortunatum* cum literis, ut pacem Ecclesiæ, si fieri posset, componeret, sed irritô conatu Carthaginem reversi sunt. *Cyprianus* verò certior factus, de legitima ordinatione *Cornelii*, partes ejus ita egit, ut abjecto Novatiano, Africam a Schismate deterruerit, illusos ab Hæretico ad meliorem revocaverit frugem, & unitatem non nihil læsam in ecclesiis restituerit. Hoc ipsum constat ex epist: ejusdem *Cypriani* 43. & 45. ad *Cornelium* & ex 48. ad *Maximum* *Nicostratum* & cæteros Confessores.

Non unam istam ad S. *Cyprianum* Novatianus miserat legationem, sed & alteram magnificentissimam ad cæteros Africæ Præsules, quam quidem lætabundi susceperunt *Novatus*, *Evaristus*, *Nicostratus*, *Primus*, & *Dionysius*, ut refert S. Cy-

Cyprianus epiſt: 49. ad *Cornelium* Quinimo literas etiam dedit Novatianus ad Alexandrinam Eccleſiam, quibus quidem callidè proteſtabatur, ſe invitum electum fuiſſe, ut eo verborum fuco deteſtandum ſchiſmatis facinus, excuſaret. Sed *Dionyſius* Alexandrinus cognitâ ipſius fraude monuit Epiſcopos Ægypti, ut ſedulò à *Novatiani* dolis & artibus caverent, & concreditum ſibi gregem ab inſidiis pro virili tuerentur.

Quia verò error ſerpit ut cancer, & homines ab adoleſcentia proni ſunt ad malum; *Novatianus* plurimos partim vi, partim dolô, partim gratiîs & beneficiîs in ſuas protraxit partes, qui quidem ſicut ipſe, primum Schiſmatici, deinde Hæretici, duce *Novatiano* evaſerunt.

Palmaris fuit error ipſius: lapſis omnem ſalutis ſpem adimebat *Novatianus*, quantumvis illos dignè pæniteret; eò quòd nullam Sacerdotibus poteſtatem pænitentes contritos & confeſſos abſolvendi tribueret. Unde ad ſuas Eccleſias ſcribens, hortabatur, ut qui ſimulacris immolaſſent, ad myſteria minimè admitte-

rentur, soliq; Deo absolvendi relinquerentur. *Cyprianus lib. 4. c. 2.*

Secundo. In apertum postea erupit istius erroris incendium; namq; quod mente versipelli de singulis peccatis asserebat *Novatianus*, depositâ tandem larvâ prædicavit, omnia videlicet peccata gravia, post susceptum baptismum commissa, irremissibilia esse. S. *Ambros: lib: 1. de pœn: c. 1. Pacianus Barcin: epist: 3. ad Sympron: S. August: lib: de agone Christiano c. 31.*

Istos Hæreticos pro virili debellavit Ecclesia definitionibûs Conciliorum, tum scriptîs & sententiîs Patrum; in Concilio quidem Carthag: in causa lapsorum, in Romano sub S. *Cornelio* Papa anno 253. *Eusebius* lib: 6. Hist: cap: 34. & 35. istud refert; illud verò *Cyprianus* epist: 54. ad *Cornelium* commemorat. De altera Synodo in Italia celebrata meminit *Eusebius* ibidem. Habita est quoq; Synodus adversus Novatianos à *Demetrio* Episc: Antioch: sic scribit P. *Natalis* Alexander hist: III. sæculi c. 3. §. 5. Eos quoq; suô perstringit stylô censoriô, magnum & celebre Concilium gene-

generale I. can: 8. quo, quidem prohibet, ne aliquis ex Novatianis ad Ecclesiæ communionem recipiatur, nisi prius hæresi abjurata. Neq; verò sola Concilia, sed & SS. Patres atq; Ecclesiæ Doctores hos perduelles homines & nefandos Hæreticos, & apertîs disputationibûs insectati sunt; in primis S. *Cyprianus* lib: per modum sermonis *de Lapsis* inscripto, S. *Ambrosius* lib: de Pænit: S. *Joan*: Chrysost: lib: de Reperatione lapsi *Dionysius* Alexandrinus jam laudatus.

Gaspar *Juenin* cum quibusdam recentioribus, contendit contra, neq; Montanistas neq; Novatianos unquam absolutè negasse Sacramentum pænitentiæ; sed in hoc tantùm errasse, quod dicerent, peccata non quidem omnia, sed quædam graviora per Ecclesiæ potestatem non posse remitti. Id autem de Montanistis probat ex *Tertulliano*, qui lib: de Pudicitia, quem scripsit post suam ad Montanistas defectionem cap: 2. distingvens peccata contra proximum & contra Deum dicit: *mundentur delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit.* Et ibidem iterum distingvens inter peccata

con-

contra Deum, *Hæc*, inquit, *dividamus in duos exitus, alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia.* Et cap: 9. aſſignans peccata irremiſſibilia; *ſunt*, inquit, *graviora & exitioſa, quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphæmia, utiq; mœchia & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi Dei.* Peccata autem remiſſibilia vocat; ibidem: *quotidianæ incurſionis, ut iraſci iniquè, manum mittere, maledicere, temere jurare, fidem pacti deſtruere, verecundia, aut neceſſitate mentiri*; & addit: *ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competit.* De Novatianis probat ex S. *Ambr*: lib: 1. de pænit: cap: 2. dicente: *ſed ajunt*, Novatiani, *ſe exceptis gravioribus, criminibus relaxare veniam levioribus.* 2do. ex *Socrate* lib: 4 cap: 23. Hæc ſecunda ſententia quantum ad Montaniſtas poſſet admitti propter expreſſa *Tertulliani* teſtimonia, neq; contradicit Patribus laudatis pro prima ſententia: neq; enim *Philaſtrius*, neq; *Epiphanius*, neq; Concilium Trid: loquuntur de Montaniſtis, ſed de ſolis Novatianis. *Hieronymus* autem non dicit Montaniſtas *ad omne delictum*, ſed, *ad omne pene delictum obſerare fores Eccleſiæ.*

Per

Per quod innuit, ipſos agnoſcere aliqua per Eccleſiam remiſſibilia. Poſſet tamen etiam dici, *Tertullianum* temperaſſe errorem Montani, ut jam dicam de Novatianis.

Quantum ad Novatianos, non putamus ſas nobis dicere cum Juenin laudatos Patres: *Novatianorum mentem & ſyſtema nequaquam eſſe aſſecutos*, ſed ad conciliandam utramq; ſententiam dicimus, primos Novatianiſmi Auctores denegaſſe, Eccleſiæ poteſtatem remittendi ullum peccatum; eorum verò diſcipulos hoc durius dogma emolliviſſe, & agnoviſſe in Eccleſia, poteſtatem remittendi leviora peccata, non tamen graviora. Ita in terminis docet S. *Ambr*: lib: 1 citato de pænit: cap: 2. ubi de Novatianis dicit: *ſed ajunt ſe, exceptis gravìoribûs criminibûs, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Auctor veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam pœnitentiam putavit . . . in eo igitur patrem veſtrum propriâ damnatis ſententiâ, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda à vobis putatis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini.*

Obſervandum verò tam Montaniſtas, quâm

quàm Novatianos negantes Ecclesiam posse remittere sive omnia, sive graviora peccata, admisisse omnia posse a Deo remitti pænitentiam agentibus. Constat de Montanistis ex *Tertul:* lib: citato de Pudic: cap: 3. & 19. De Novatianis ex S. *Ambrosio* lib: de pænit: cap: 2. & ex *Socrate* lib: 4. hist: cap: 18.

Valdenses, Wikleffistas & Hussitas pænitentiam non expunxisse ex albo Sacramentorum, sed tantùm errasse in hoc, quod improbis Sacerdotibus potestatem absolvendi, & alia Sacramenta administrandi denegarent, conveniunt modo eruditi cum doctissimo *Bosvetio* lib: 11. variat: n. 104. & 165. Calvinistæ omnes cum Calvino rejiciunt Sacramentum pænitentiæ, voluntq; nullum aliud esse in Ecclesia remedium peccatorum post baptismum commissorum, quàm ipsum baptismum in memoriam revocatum, cum certa fide, sive fiducia remissionis peccatorum. Ita etiam plures Lutherani: qui verò profitentur Confessionem Augustanam, videntur admittere Sacramentum pænitentiæ distinctum à baptismo; legitur enim in ejus apologia, *verè igitur sunt*

Sacra

Sacramenta baptiſmus, cœna Domini, abſolutio, quæ eſt Sacramentum pœnitentiæ: at illud labefactant, dum dicunt art: 11, dictæ confeſſionis, non eſſe neceſſariam peccatorum enumerationem. Idem dicendum de iis, qui utuntur parvô catechiſmô Lutheri, in quo etiam videtur admitti Sacramentum pænitentiæ. Vide *Boſvet*. hiſt: variat. lib: 3. n. 47. & 48. Quantùm ad Lutherum ipſum varius & inconſtans hac de re fuit; ſed quidquid dixerit, aut dicant modo Lutherani, quamdiu hærebunt capitali ſuo dogmati de juſtificatione ex fide per juſtitiam Chriſti imputatam, non poſſunt agnoſcere pænitentiam pro vero Sacramento collativo gratiæ, neq; habere abſolutionem pro actu judiciali remittente peccata, ſed tantum pro aliqua declaratione extrinſeca excitante ad fidem remiſſionis peccatorum, quâ ſolâ contendunt peccatorem juſtificari, per imputationem juſtitiæ Chriſti.

Itaq; contra hos omnes Hetorodoxos tria ſunt nobis præſtanda. *Primum*: eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi omnia peccata poſt baptiſmum commiſſa. *Se-*

cun-

cundum: Pænitentiam, quæ in Ecclesia agitur, esse verum & proprié dictum Sacramentum. *Tertium*: esse Sacramentum distinctum a Baptismo, ejusve memoria. Unde sit.

§. II.

Dogma Catholicum asseritur.

Dico 1. Est in Ecclesia potestas remittendi omnia peccata post baptismum commissa etiam graviora, ita ut nullum sit in hac vita irremissibile.

Prob: Disertissimis Christi verbis: Matth: 16. dicit Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Matth: 18. dicit omnibus Apost: *Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumq; solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Et adhuc apertiùs Joan: 20. *Sicut*, inquit Apostolis, *misit me Pater, & ego mitto vos; hæc cùm dixisset, insufflavit & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Hic nulla di-

stin-

ſtinctio inter peccata gravia & levia, nulla exceptio apponitur: *quæcumq; ſolveritis, quorum remiſeritis peccata. Deus*, inquit Ambr: lib: 1. de pænit: c. 2. *diſtinctionem non facit, quia miſericordiam ſuam promiſit omnibus & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. Merito itaq; Trid: ſeſs: 14. c. 1. de verbis Chriſti Joan: 20. dicit: *quo inſigni facto & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*. Quod ita verum eſt, ut teſte *Euſebio* ſtatim ac Montaniſtæ & Novatiani errorem ſuum propâlarunt, contra eos inſurrexerint omnes per orbem Eccleſiæ.

Dico 2. Pænitentia, quæ in Eccleſia agitur, eſt verum & propriè dictum Sacramentum. *Eſt de fide deciſum in Concil: Trid: ſeſs: 14. c. 1*.

Prob: Ratione Theologica. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile á Chriſto permanenter inſtitutum, ſignificativum & effectivum gratiæ; atqui talis eſt pænitentia, quæ in Eccleſia agitur; ergò.

Prob:

Prob: min. 1mo: Eſt ſignum ſenſibile tám ex parte pænitentis, confeſſionem doloroſam exhibentis, quám ex parte Sacerdotis exteriùs ſententiam proferentis; ſicut enim judex non poteſt proferre ſententiam, niſi pænitens accuſaret ſua peccata; ſic pænitens non poſſet ſcire ſe eſſe ligatum aut ſolutum, ſi Sacerdos id exterius non ſignificaret. *2do*: eſt ſignum á Chriſto inſtitutum Matth: 16. 18. & Joan: 20. *3tio*: permanenter inſtitutum patet ex 1ma conc: *4to*: ſignificativum & collativum gratiæ, quia remiſſio peccatorum non fit ſine collatione gratiæ; ergo.

Prob: Traditione. Omnes Eccleſiæ tàm orientales quàm occidentales ſemper agnoverunt & agnoſcunt pænitentiam, quæ in Eccleſia agitur eſſe verum, & propriè dictum Sacramentum. Patet ex omnibus Ritualibus novis & antiquis, & ex unanimi conſenſione utriuſq; Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ; nec poteſt aſſignari primus, qui hoc Sacramentum in Eccleſiam invexerit; ergò certò tenendum eſt eſſe verum Sacramentum á Chriſto per Apoſtolos ad nos derivatum.

Dico

Dico 3. Pænitentia eſt Sacramentum diſtinctum á baptiſmo, ejuſve memoria. *Ita definit Trid: ſeſſ:* 14. *c.* 2.

Prob: 1. Cum eodem Concil: ſeſs: cit: cap: 2. ſubjectum, miniſter, materia forma, & effectus Pænitentiæ ſunt diſtincta à ſubjecto, miniſtro, materia, forma & effectu baptiſmi; ergò. *Prob*: *ant*: Subjectum baptiſmi eſt quilibet homo, Pænitentiæ ſolus homo baptizatus; miniſter baptiſmi quilibet homo, Pænitentiæ ſolus Sacerdos ut Judex; materia baptiſmi eſt aqua, & forma *ego te baptizo*; materia pænitentiæ ſunt actus pænitentis, forma verba abſolutionis, quæ profert Sacerdos; Baptiſmus delet omnia peccata tam originale, quàm actuale, tam quò ad culpam, quam quo ad omnem pænam; Pænitentia delet ſolum actualia poſt baptiſmum commiſſa quo ad culpam, & non quo ad totam pænam; baptiſmus confert gratiam regenerativam; pænitentia gratiam reſuſcitativam ſeu reconciliativam, ſicq; diſtinctam, ſi non materialiter, ſaltem formaliter; ergò.

Prob: 2. Non debuit minus provideri pro peccatis baptizatorum de remedio,

dio, ne in desperationem inciderent, quàm pro peccatis infidelium; unde actorum 8. Petrus dicit Simoni baptizato: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*; atqui pro peccatis infidelium institutum est in remedium Sacramentum baptismi; ergò debuit etiam institui Sacramentum pro peccatis baptizatorum; *subsumo*: atqui istud Sacramentum est necessariò distinctum à baptismo; ergò. *Prob*: *subsumptum*: Peccata baptizatorum non possunt remitti per iterationem baptismi; quia non est iterabile, ut fatentur ipsi Hæretici, neq; per memoriam baptismi; *1mo*: quia memoria baptismi non est quid externum & sensibile, nec consequenter Sacramentum. *2do*: quia nullibi in Scripturis assignatur memoria baptismi pro remedio peccatorum; aut dicant, ubi, Hæretici, qui tantopere in scripturis gloriantur & in iis solis fundantur; ergò.

Prob: 3. *ab inconvenientibus*. Si pænitentia non distingveretur á baptismo, ejusve memoria, sequeretur *1mo*: Sacerdotes non habere potestatem retinendi peccata, saltem post baptismum commissa, contra expressa Christi verba;

non

non eſt enim in poteſtate Sacerdotis efficere, ut baptizati non ſint baptizati, aut baptiſmi ſuſcepti non recordentur. Sequeretur. 2do: lapſos poſt baptiſmum faciliùs obtinere veniam peccatorum, quàm lapſos ante baptiſmum; facilius eſt enim reminiſci baptiſmi, quám illum ſuſcipere; abſurdum eſt autem Deum facilius condonare iis; qui ſæpè ex ignorantia peccaverunt; ergò.

Objic: 1. *contra* 1. *concl*: ex veteri teſtamento 1mo: Eccleſiaſticus cap: 21. dicit: *quaſi romphœa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas.* 2do: Amos cap: 1. Deus dicit: *ſuper tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non convertam eum.* 3tio: 1. Regum 2. Heli increpans filios ſuos ait: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Dominus, ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo.* 4to: 2. Machab: 9. de Antiocho legitur: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus*: & de Eſau dicit Apoſt: Hebr: 2. *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamqúam cum lacrymis inquiſiſſet eam*; ergò.

Reſp: 1. In his omnibus textibus non

agi

agi de Ecclefia, fed de DEO, ficq; iis probari Deo deeffe poteftatem & voluntatem dimittendi quædam crimina, quod non admittunt objicientes.

Refp: 2. ad fingula; *ad 1mum*: fenfus eft peccatum mortale non poffe fanari viribûs humanîs, benè tamen auxiliante Dei gratia; unde paulò fuperius dixerat: de priftinis deprecare, ut tibi dimittantur. *Ad 2dum*: quartum peccatum fecundum Hieron: eft impænitentia finalis; fecundum alios fenfus eft, quod multiplicata peccata compellant Deum ad vindictam. *Ad 3tium*: imo: fenfus literalis eft, fi vos Sacerdotes, qui pro aliis DEUM per facrificia placatis, ipfum Deum offenditis polluendo veftrâ rapacitate, & incontinentia facrificia, & ab eis homines retrahendo, quis pro vobis orabit & offeret facrificia? *2do*: refpondet *Ambrofius* lib: 1. de pænit: cap: 8. his verbis: *quis orabit pro eo*? quæri, non excludi, qui in hac caufâ orare poffit, ficut cum dicitur Pfal: 14. *quis habitabit in tabernaculo tuo* & Pfal: 24. *quis afcendet in montem Domini*? quia quo majora funt peccata, majora quærenda funt

fuf-

ſuffragia, & difficilius eſt placare judicem, quando ipſemet injuriâ afficitur, quàm ſi alicui alteri ſit illata. Deniq; ſcriptura refert tantum verba Heli, quibus fidei pondus tribuere non eſt neceſſe. *Ad 4tum*: neq; Antiochi, neq; Eſau vera fuit pænitentia; dolebat enim Antiochus de culpa præterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. Similiter Eſau non dolebat de culpa, ſed de amiſſa primogenitura, neq; deponebat odium in fratrem, dicebat enim: *venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob Fratrem meum:* alium inſuper ſenſum patiuntur verba Apoſtoli, ſcilicet pænitentiam referri ad Iſaac, & non ad Eſau, ita ut ſenſus ſit, Eſau non potuiſſe invenire in Iſaac pænitentiam, id eſt; retractationem benedictionis, quam dederat Jacob: ſic enim habet Apoſt: *poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobratus eſt: non enim locum pœnitentiæ &c.*

Objic: 2. contra 2. concl: Hæc verba Chriſti Math: 18. *quæcumq; ſolveritis* &c. in quibus fundamus noſtram concluſionem, intelliguntur de injuriis invicem

condonandis, referuntur enim ad præcedentia verba: *si peccaverit in te frater tuus* &c & ita interpretatur *August*: ferm: 16. de verbis Domini; ergò.

Resp: 1. Conclusionem nostram non in his solis verbis fundari, sed & in verbis Christi Math: 16. & Joan: 20. maximè, quæ intelligi non possunt de injuriis invicem condonandis. 2*do*: *nego ant*: Verba enim immediate præcedentia, ad quæ referuntur ea, de quibus in objectione sunt hæc: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, id; est excommunicatus; ut enim Christus ostenderet quantam Ecclesiæ Pastores potestatem habeant; nè quis repugnare audeat, subjungit: *amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis* &c. Ad *August*: S. Doctor tract: 22. & 49. in Joan: serm: 98. lib: 20. de civit: cap: 9. & alibi, agnoscit hæc verba spectare potestatem absolvendi in Sacerdotibus: loco verò objecto, vult tantum extensione quadam ea pertinere ad singulos, quatenus Deus ratam habet condonationem, quam faciunt, injuriarum propriarum.

Objic: 3. *contra* 3. *concl*: In his verbis

Chri-

Christi Joan: 20. *quorum remiseritis* &c. quæ sunt præcipuum conclusionis nostræ fundamentum, nihil aliud intelligitur, quám præceptum Apostolis datum, remittendi peccata per Evangelii prædicationem & baptismum, ita ut sit idem sensus illorum ac istorum: *euntes ergó docete omnes gentes* &c. & ita intelligit S. *Cyrillus* l. 12. in Joan: c. 56. ergò.

Resp: *nego ant*: Textus enim sunt omnimo diversi, & diversus omnino sensus; posterior spectat dumtaxat infideles, prior baptizatos. Quantum ad *Cyrillum*, non de solo baptismo, sed etiam de pænitentia verba Joannis interpretatur: *duobus modis*, inquit. Et quamvis Christus hæc verba de sola remissione peccatorum per pænitentiam dixerit, voluit tamen Cyrillus enumerare omnes modos, quibus Apostolis concessum est remittere peccata.

Inst: 1. Omnis Ecclesiæ mundatio tribuitur baptismo Ephes: 5. *mundans eam lavacrô aquæ.* item Matth: 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* ergò.

Resp: Hos & similes textus spectare

 pri-

primam mundationem & justificationem, quæ fit dum infideles per baptismum aggregantur Ecclesiæ; non secundam, quæ per Sacramentum pænitentiæ impertitur lapsis post baptismum.

Inst: 2. S. *Fulgent:* lib: de fide cap: 30. vocat baptismum Sacramentum fidei & pænitentiæ. Et de baptismo Joannis dicitur Lucæ 3. *Venit prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum;* ergò.

Resp: ad 1. Ideo baptismum vocari á S. *Fulgentio* Sacramentum fidei & pænitentiæ, quia in adultis, qui ante baptismum peccaverunt, requiritur aliquis actus virtutis pænitentiæ, ad ejus susceptionem. Unde Petrus Act: 2. *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum. Ad* 2. Baptismus Joannis dicitur baptismus pænitentiæ, quia non conferebat vi propria gratiam, ut baptismus Christi; sed tota vis ejus erat in pænitentia, ad quam hortabatur Joannes.

Inst: 3. August: lib: 1. de nupt: & concup: cap: 33. dicit, quod *lavacro regenerationis non tantùm peccata præterita,*

sed

ſed etiam poſteriùs admiſſa remittantur; ergò.

Reſp: Auguſtinum intelligere per baptiſmum remitti peccata ſequentia, non formaliter & immediatè, ſed radicaliter, mediatè, & diſpoſitivè, quatenus eſt janua aliorum Sacramentorum, & per illum reddimur capaces Sacramenti pænitentiæ, ita ſeipſum explicat S. Doctor ibidem ſubjungens: *quid enim prodeſſet, vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus poſtea ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet?* Auguſtinum verò aperte diſtinxiſſe inter baptiſmum & pænitentiam conſtat ex variis ejus textibus.

Petes 1. Quando pænitentiæ Sacramentum inſtitutum eſt?

Reſp: Chriſtus Sacramentum pænitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm á mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joannis 20.

Petes 2. Quis ſit miniſter Sacramenti pænitentiæ?

Reſp: Solus Sacerdos eſt miniſter legitimus confeſſionis Sacramentalis. *Eſt*

de

de fide decisa in conc: Trid: seſſ: 14. c. 1. contra Wiklefiſtas, Waldenſes & Lutherum.

Prob: Ille ſolus eſt miniſter legitimus confeſſionis, qui poteſt abſolvere à peccatîs confeſſis; atqui ſolus Sacerdos poteſt abſolvere a peccatis confeſſis; ergo. *Prob: min:* Solis Apoſtolis, & in eorum perſona ſolis Epiſcopis & Sacerdotibus, atq; eorum ſucceſſoribus Chriſtus Matt: 18. promiſit claves regni cœlorum, ſeu poteſtatem ligandi & ſolvendi; retinendi & remittendi peccata, iiſq; ſolis eam contulit Joan: 20. dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.... accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt;* ergo.

Petes 3. An omnis Sacerdos ſit miniſter legitimus Sacramenti pænitentiæ?

Reſp: Non omnis Sacerdos eſt legitimus Miniſter Confeſſionis, ſed præter poteſtatem ordinis, requiritur jurisdictio.

Prob: Conc: Trid: ſeſs: 14. cap: 7. ait: *Natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur. Et ideo in Eccleſia Dei perſuaſum ſemper fuit, &*

veriſ-

verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.

Petes 4. An & à quo Religiosi mendicantes habeant jurisdictionem excipiendi confessiones sæcularium?

Resp: Eos illam habere a S. Pontificibus, mediante approbatione Episcopi. Patet ex Decretali *super Cathedram*, ex Bulla *Dudum* Concilii generalis Viennensis, ex Bulla *Joannis* XXII. contra Joannem de Poliaco, ex Bulla *Alexandri* V. 1409. *Regnans in excelsis &c.*

Petes 5. Quos vi suæ jurisdictionis absolvere possint Regulares?

Resp: Eos posse generaliter absolvere omnes Christi fideles saltem sæculares, ex quacumq; Diœcesi aut mundi parte ad eos venerint. Patet ex Bullis citatis. Dixi *saltem sæculares*, quia licet illæ Bullæ loquuntur generaliter de omnibus, & quædam aliæ exprimant etiam personas Religiosos; attamen *Clemens* VIII. Bulla *Romani Pontificis* 1599. & *Clemens* X. Bulla *Superna*, declarant Regulares tali jurisdictione non posse valide uti, respectu

ctu personarum Religiosarum utriusq; sexus, nisi dependenter à dispositione & speciali deputatione illarum Superiorum.

Petes 6. A quibus casibus absolvere possunt Regulares privilegiati?

Resp: 1. extra Italiam posse absolvere ab omnibus casibus Apostolicæ sedi reservatis, exceptis casibus Bullæ cænæ. Sufficiat exscribere Decretum S. Congreg: sub Urbano VIII. quod est sequentis tenoris: *S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita censuit.... Regulares cujusvis ordinis, congregationis, societatis & instituti etiam necessario exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemq; absolvere ab iisdem casibus in Bulla cænæ, aut Ordinario loci reservatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas atq; irritas fuisse ac fore. Ab aliis vero casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habent à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse, iis sacræ*

congre-

congregationis decretis hac de re editis, jussu S. Memoriæ Clementis VIII. Quam S. Congregationis sententiam, Sanctitas sua ad se relatam approbavit, mandavitq; ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628. F. A. Cardinalis S. Onuph: loco ✝ Sigilli P. Fagnanus Secretarius. Plura alia refert *Passerinus* q. 187. a. 2. Possunt itaq; Regulares privilegiati extra Italiam absolvere a duello, simonia, violatione immunitatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monialium etiam ad malum finem, percussione Clerici, & ab aliis omnibus Papæ reservatis; item ab omnibus censuris, sententiis, pænis Ecclesiasticis, ex his resultantibus; excipe semper casus Bullæ cænæ; nisi dum ratione impedimenti adeundi S. Sedem, desinunt esse Papales. *Adverte*, hic non comprehendi censuras particulatim ab homine inflictas, sed ut dicit privilegium, ex ipsis casibus resultantes. Neq; irregularitatem, quia ab ea non absolvitur, sed in ea dispensatur.

Porro ut Regulares tam ampla jurisdictione validè & licitè utantur, præter approbationem ab Episcopo, de qua jam

dictum

dictum eſt, requiritur, ut Regularis a ſuo Superiore ad id munus deputetur, patet ex Clementina *Dudum* de ſepulturis. *Et ratio eſt*: quia iſtud privilegium eſt conceſſum Religioni, & in gratiam ipſius, non veró huic particulari, niſi ut Regularis eſt, & obedientiæ ac regimini Superiorum ſubditus.

Reſp: 2. Regulares non poſſunt nunc abſolvere à caſibus quos ſibi reſervat Epiſcopus. Patet ex Urbano VIII. antea citato, ex Bulla *Superna* Clementis X. citata, ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VII- *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum licentia.* Eſt duodecima inter damnatas, & in variis aliis Summorum Pontificum Decretis, quibus manifeſte derogatum eſt privilegiis, quibus id olim conceſſum erat Mendicantibus. Hinc inferes quod ſi Epiſcopus ſibi reſervaret certis ex cauſis aliquem caſum aliunde Papæ reſervatum, Regularis non poſſet ab eo abſolvere abſq; Epiſcopi licentia.

ARTI-

ARTICULUS II.
De Confeſſione Sacramentali.

Confeſſio Sacramentalis communiter & recté definitur: *accuſatio legitima peccatorum facta Sacerdoti competenti ad veniam, virtute clavium, obtinendam.*

§. I.
Errores recenſentur.

Joannes Wiklef rejecit confeſſionem tanquam inutilem, dicens: *ſi homo debitè fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis*: eſt inter articulos ejus à Concilio Conſtant: damnatos, ſeptimus.

Lutherus variè hac de re cenſuit, in parvo catechiſmo, quem edidit, ut refert doctiſſimus *Boſuet.* Epiſc. Meldensis, docet eam eſſe neceſſariam. In visitatione Saxonica anno 1528. & in ſerm: de Euchar. anno 1526. dicit eſſe liberam. Libro 1. de captiv Babyl. cap. de Pænit. ſcribit eam ſibi placere & eſſe utilem; & ſerm. de pænit. art. 9. carnificinam & cruentiſſimam appellat. Videtur tamen certò tenuiſſe, *1mo*: Confeſſionem non poſſe probari ex ſcriptu-

ris

ris lib. 1. de capt. Babyl. cap. de pænit. 2do: Non esse necessarium omnia confiteri, etiamsi eorum recordetur pænitens, ut patet ex eodem loco, et serm. de pænit. & ex art. 8. & 9. damnatis a Leone X. 3tio: Damnat eos, qui docent peccata venialia, & circumstantias peccatorum esse confitendas, ibidem serm. de pænit. Ex Lutheranis *Joannes* Brentius & *Kemnitius* rejecerunt absolutè confessionem in specie, contenti confessione generali. Secundum *Bosvet*, Lutherani confessionis Augustanæ retinent usum confessionis auricularis, quod probat ex apologia ipsius confessionis Augustanæ. *Calvinus* docet 1mo usum confessionis non esse juris Divini instit. c. 4. § 7. 2do: docet antiquum quidem fuisse, sed liberum, *cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur*, inquit ibidem, *sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum.* Docet 3tio: expedire, ut minister, tum pro se, tum pro populo confessionem generalem faciat; suadetq; ut etiam privata consulatur, & specialiter iis, qui peccatorum suorum sensu anguntur, *ut solidum consolationis fructum referant*; docet

cet 4*to*: confessionem, ut fit, & præcipitur in Ecclesia Rom. tollendam esse de medio: *nihil mirum*, inquit § 19. *si auricularem illam confessionem, rem adeo pestilentem, totq; nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam è medio cupimus*, asseritq; novum esse inventum *Innocentii* III. in Concil. Lateran. IV. anno 1215. iis Calvini dogmatibus adhærent omnes Calvinistæ, quorum errores in hac parte quatuor libris propugnare aggressus est Pseudo-Minister *Dallæus*.

Ad efficaciorem Hæreticorum *Dallæi* præsertim, impugnationem, observandum est Decretum Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de modo, sive secretò sive publicò confitendi peccata. *Quo ad modum*, inquit, *secreto apud solum sacerdotem; etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cùm à sanctissimis &*

an-

antiquissimis Patribus, magno unanimiq; consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a Divino mandato alienam, & inventum humanum esse atq; a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse non verentur. Ex qua doctrina Estius in 4. dist. 17. § 8. Zuares disp. 21. de Conf. sect. 2. Coninck disp. 6. de qualitate confessionis, & alii, inferunt non esse de essentia confessionis Sacramentalis, quod sit secreta & auricularis, sed possit aliquando laudabiliter fieri publicè, licet id neq; jure Divino, neq; humano sit necessarium: ad essentiam autem confessionis pertinere tantúm, quod peccata quocumq; modo sive secretò sive publicè declarentur Sacerdoti ad obtinendam absolutionem; usum tamen confessionis secretæ fuisse in Ecclesia servatum, & hunc merito retinendum. Hac observatione præcluditur effugium solitum Dallæi, qui ad argumenta nostra ex Traditione continuo reponit, ea esse intelligenda, de confessione publica. Esto

enim

enim id tam esset verum, quam est falsum, nihil obtineret, cum modus confessionis non pertineat ad ejus essentiam, sufficiatq; sive secreta sit, sive publica, quod agnoscatur necessaria ad obtinendam vi clavium remissionem peccatorum.

§ II.

Dogma Catholicum statuitur.

Dico. Confessio Sacramentalis est omnibus post baptismum lapsis necessaria jure divino. *Est de fide decisum in concil. Trid. sess. 14. can. 7. contra insurgentes Hæreticos*, maxime *Calvinistas.*

Prob. 1. Ratione fundata in scriptura, & qua utitur Trid. sess. cit. cap. 5. Quicunq; peccati mortalis post baptismum rei sunt, tenentur jure Divino quærere reconciliationem cum Deo, & peccatorum veniam, per medium ab ipso institutum; atqui medium à Deo institutum ad reconciliationem cum ipso, & peccatorum post baptismum commissorum veniam obtinendam est confessio peccatorum nedum in genere, sed & in

in ſpecie Sacerdoti facta; ergo: *maj. eſt certa. Prob. min.* Chriſtus inſtituit Sacerdotes judices & medicos, sine quorum ſententia & curatione nemo lapſus poſt baptiſmum poteſt reconciliari & ſanari; atqui non poſſunt hoc judicium exercere incognitâ causâ, nec æquitatem ſervare in injungendis pænis, nec proportionem in designandis remediis, si in genere tantum, & non in ſpecie ac sigillatim peccatores eis ſua peccata declarent, vulnera aperiant; ergò: *min. videtur evidens. Prob. maj.* (quam negat Calvinus) inviċtiſſimis Scripturæ teſtimoniis: Chriſtus Matth: 16. Promittit Petro claves Regni cælorum, & poteſtatem ligandi & ſolvendi; Matth. 18. idem promittit omnibus Apoſtolis; & Joan. 20. hanc poteſtatem de facto eis confert, dicendo: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos --. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt;* atqui Apoſtolos & eorum ſucceſſores habere claves regni cælorum, poſſe ligare & ſolvere; remittere & retinere peccata, eſt eos eſſe à Deo conſtitutos judices

&

& medicos, sine quorum ſententia & curatione nemo lapſus cum eo reconciliari poteſt & ſanari; non enim ſunt inter ipſum & homines alii judices conſtituti, nec alii medici ſanandis peccatorum vulneribus deſignati; ergò.

Prob. 2. ex Traditione. Confeſſio Sacramentalis peccatorum non ſolum publicorum (ut contendunt Novatores) ſed etiam occultorum; qualis nunc agitur inter Catholicos; fuit in uſu ab exordio Ecclesiæ; ergo eſt inſtituta a Chriſto ut neceſſaria, & per Apoſtolos ad nos tranſmiſſa. *Patet conſeq.* tum quia juxta regulam Auguſtini l. 4. de Bapt. contra Donat. c. 24. *quod univerſa tenet Eccleſia; nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.* Tum, quia confeſſio peccatorum ſecretorum & pudendorum res eſt adeo ardua & difficilis, ut nunquam tot ſæculis obſervata fuiſſet, niſi à Chriſto ut neceſſaria foret inſtituta. *Prob. ant.* ſelectis PP. teſtimoniis ſecundum ſeriem ſæculorum, omnia enim referre foret immenſum. Ex I. ſæculo legendi ſunt S.

Clemens epist. 2. ad Corint. & l. 7. Constit. Apost. c. 14. Ex II. S. *Irœneus* l. 1. adversus hæreses c. 9. eodem sæculo *Tertul.* lib. de pænit. cap 4. dicit: peccata etiam cogitationis esse accusanda, quia singulis pæna est imponenda. Sæculo III. S. *Cyprianus* l. de lapsis c. 12. *Confiteantur*, inquit, *singuli, quœso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sœculo est; dum admitti ejus confessio potest; dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Deum, grata est.* Eodem sæculo *Origenes* hom. 2. in Levit. enumeratîs variîs modîs obtinendi veniam peccatorum, oratione, eleemosyna &c. subjungit. *Est adhuc & septima licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymœ suœ panes die & nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quœrere medicinam.* Et homil. 2. in Psal. 37. postquam asseruit, necessariam esse confessionem, ut peccator veniam consequatur, sicut necesse est infirmo noxium humorem ejicere e stomacho ad sanitatem recupe-

ran-

randam, addit: *Tantummodò circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordiam, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hac deliberatione, & ſatis peritô medici illius conſiliô procurandum eſt.* Ex his habes, non ſolum confeſsionem ſecretam ſecretorum peccatorum, ſed etiam confeſsionem ſecretam ortum non ducere ex publica ſeu confeſsione ſeu pænitentia; ſed econtra confeſsionem ſecretam præiviſſe publicæ tum pænitentiæ; tum confeſsioni, & utriq; indicendæ fuiſſe normam & regulam.

Seculo IV. S. *Baſilius* in regulis brevioribus reſponſione ad Q. 288. *neceſſario*, inquit, *iis peccata aperiri debent, qui-*

bus credita eſt diſpenſatio myſteriorum fidei. Et Q. 100. prohibet: *Dum ſoror* (Monialis) *Presbytero confitetur, Antiſtitam ipſam adeſſe.* Eodem ſæculo S. *Ambros.* referente Paulino in ejus vita: *quotieſcumq; illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſt, ita flebat, ut illum flere compelleret; videbatur enim ſibi cum jacente jacere.* Hanc autem confeſsionem eſſe ſecretam, & peccatorum occultorum patet: proſequitur enim Paulinus: *cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur, bonum exemplum relinquens poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud DEUM magis ſint, quam accuſatores apud homines.* Eodem ſæculo *Chryſoſtomus* cujus authoritate abutuntur Novatores: is orat. ſeu homil. de muliere Samarit. *Intuemur, & nos,* inquit, *hanc mulierem Samaritanam & ob propria peccata non erubeſcamus, ſed DEUM timeamus - - - qui enim homini detegere peccata erubeſcit, Deo vero cernente facere non erubeſcit; neq; confiteri vult & pœnitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpe-*

ctan-

ctante traducetur. Idem docet hom. 2. de cruce & latrone l. 2. de Sacerdotio: Hom. 30. in Genes. & hom 9. in cap. 6. ad Hebr.

Sæculo V. *Innocent.* Papa ep. ad Decentium c. 7. *cæterum*, inquit, *de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſsionem pœnitentis; ac tunc jubet dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*. Eodem ſæculo *Auguſt.* ſerm. 392. conjugatos adulteros sic alloquitur: *agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcat, quia in corde meo ago; ergo ſine cauſa dictum est: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti; promittimus vobis, quod ille negat*. Idem docet ſerm. 393. ſerm. 2. in Pſal. 101. enarrat. in Pſal. 60. & ſerm. 391. de Pænit. Eodem ſæculo *Leo* Mag. ep. 80. nunc 136. c. 3. invehit contra eos, qui confeſsionem publicam requirebant, *cum reatus conſcientiarum*, inquit, *ſufficit ſolis Sacerdotibus in-*

indicari confeſsione ſecreta. idem epiſt. 91. nunc 82. hortatur peccatorem ne differat ſuam converſionem, & ne *illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium vel confeſsio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis.*

Sæculo VI. *Gregor.* M. hom. 26. in cap. 20. Joan. *Lazaro ergo,* inquit, *dicitur. veni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo, in culpa diceretur, cur reatum tuum infra conſcientiam abſcondis; foras jam per confeſsionem egredere, qui apud te interius per negationem lates, veniat itaq; foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator; venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut pastores Eccleſiæ, ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breviter dixerim, ut ſub magno moderamine paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant, vel ligare.* Legendus inſuper *Greg.* lib. 3. & 29. Moral. eodem ſæculo *Joannes* Jejunator, qui anno 586. ſedebat Patriarcha CPolit. in ſuo libello pænitentiali, quem *Morinus* edidit in calce commentarii de adminiſtratione Sacramenti pænitentiæ, inducit Sacerdotem sic alloquentem & in-

interrogantem pænitentem: *ſpiritualis fili, ego confeſſionem tuam primario & præcipue non recipio, nec tibi abſolutionem concedo, ſed per me DEUS - - - cùm ſecundum multam, quæ exprimi non poteſt ejus miſericordiam, ita dixit: quæcumq; ligaveritis, aut ſolveritis ſuper terram, erunt in cælis illa quidem ligata, hæc vero ſoluta. Revela igitur & declara coram Sanctis Angelis, nihilq; me cela eorum, quæ à te clàm facta ſunt, velut ſi Deo occulta cordium cognoſcenti confitereris.* Tum inducit Sacerdotem interrogantem de numero & circumſtantiis peccatorum ad hunc modum: *Quomodo Domine frater vel ſoror? primum virginitas tua corrupta eſt? per fornicationem vel legitimum matrimonium, vel per molitiem, aut aliquid eorum, quæ ſunt contra naturam? conſentientem vero & dicentem, ſic & ſic, ipſum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret? num aliquæ earum eſſent ancillæ, quantæ viduæ, & quantæ nuptæ? num aliquæ monachæ, & quot? num aliquæ magnum habitum geſtarent.* Similiter de aliis præceptis. Hic sisto, quia ad hæc priora ſæcula, quæ puriora reputant Novatores,

res, maximè attendunt, nec plura fert institutum nostrum. Quantum ad sequentium sæculorum Patres, Concilia, libros pænitentiales & Theologos vide V. *Bellarmium. Nugno, Witasse, Juenin, &c.* Verùm quæ diximus, plusquam sufficiunt ad revincendos Novatores apertæ falsitatis & putidæ calumniæ, dum dicunt: præceptum confessionis Sacramentalis esse inventum *Innocentii* III. in Conc. Lateran. quodq; ideo irrisoriè vocant: *Tormentum Innocentianum.* Ad hæc, omnem verisimilitudinem superat, quod ista lex tàm ardua, dura & difficilis sine Scripturarum & Traditionis suffragio ab omnibus totius orbis Ecclesiis fuerit recepta nemine reclamante aut conquerente. Quis enim tunc reclamavit? quis conquestus est? Insuper ex ipsis terminis Concilii in capite, *omnis utriusq; sexûs* evidens est, in eo non agi de natura aut substantia confessionis, sed de ejus circumstantiis tantùm, scilicet de tempore, ut fiat semel in anno, & de ministro, ut fiat proprio Sacerdoti.

Objic. 1. Celebre factum Nectarii, ex quo

quo sic arguunt Hæretici. Quod ab Ecclesia fuit inſtitutum, & deinde ab ea abrogatum, non eſt juris Divini; atqui confeſſio fuit ab Ecclesia inſtituta, & per Ecclesiam abrogata; ergo. *Prob. min.* Socrates l. 5. Hiſt. cap. 19. narrat occasione Novatianorum, qui conquerebantur peccatores facilius à Catholicis admitti ad reconciliationem, inſtitutum fuiſſe Presbyterum pænitentiarium, cui, lapsi poſt baptiſmum sua peccata confiterentur; en confeſsionis inſtitutio; deinde occasione alicujus ſcandali hunc pænitentiarium ſæculo ſubſequenti à Nectario Epiſcopo CPolit. ſublatum fuiſſe, en confeſsionis abrogatio; ergo. Idem refert Zozomenus Socrati coævus l. 7. c. 16. excepto quòd Zozomenus dicat, hunc Pænitentiarium non occasione Novatianorum, ſed *ab initio* fuiſſe inſtitutum. Omiſsis variis ſolutionibûs, quas huic argumento Theologi adhibent.

Reſp. Ex hac narratione non colligi inſtitutionem & abrogationem confeſsionis Sacramentalis, ſed Pænitentiarii tantum, cujus præcipuum munus

erat

erat, præeſſe pænitentiæ publicæ,& ideo inquirere in mores fidelium, recipere depositiones teſtium, de quorumdam criminibus, reos ad ſe vocare & convictos confeſsioni ſeu pænitentiæ publicæ addicere, auditâ prius eorum confeſsione ſecretâ,atq; invigilare ut pænitentiæ ſtadium, juxta canones accuratè decurrerent; Pænitentiarius enim dicebatur à pænitentibus, Pænitentes olim ii ſoli dicebantur, qui erant addicti pænitentiæ publicæ, ut liquet ex Concil. Tolet. I. Cúm itaq; mulier quædam nobilis huic Pænitentiario eſſet confeſſa, & ipſa sive proprio motu, sive ſvadente Pænitentiario peccata quædam publicè confiteretur, longiûs progreſſa indiſcretè prodidit ſe compreſſam fuiſſe à Diacono in Ecclesia, dum ibi pænitentiam ageret; unde graviter commotus fuit populus & Diaconus exauctoratus. Ratione igitur hujus ſcandali; Nectarius amovit Pænitentiarium, quo ad munia Pænitentiam publicam ſpectantia, intactô uſu confeſsionis ſecretæ, qui remanſit in eo ſtatu, in quo erat ante inſtitutionem hujus Pænitentiarii; quod patet

tet 1mo: quia Nectarius sustulit tantùm, quod fuerat occasio scandali; non autem confessio secreta, sed confessio seu pænitentia publica fuit occasio scandali. 2do: quia legitur amovisse Pænitentiarium tantùm, non autem alios Sacerdotes confessionibus secretis excipiendis præpositos, qui proinde permanserunt ut ante, alios enim præter Pænitentiarium confessionibus excipiendis designatos constat, tum ex Origene, tum ex Eusebio qui l. 6. c. 36. refert Serapionem morti proximum advocasse unum *ex Presbyteris* dispensationi Sacramentorum à Dionysio Alex. præpositis, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet; tum deniq; quia unus Confessarius impar fuisset excipiendis confessionibus numerosissimæ civitatis, qualis erat CPolis tempore Nectarii.

Inst. Socrates & Zozomenus referunt, post exauctorationem Pænitentiarii unicuiq; permissum fuisse pro arbitrio, & animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere; ergò.

Resp. nego conseq. Hoc enim loquendi

di modô Socrates & Zozomenus nihil aliud significare intendunt, quàm quod pænitentes non arcerentur ampliùs à participatione Sacramentorum per Pænitentiarium, donec adimpletâ pænitentiâ publicâ ab ipſo injunctâ, ad eam admitterentur; ſed quòd non expectato hoc tempore, & independenter à licentia Pænitentiarii, quilibet poſſet pro ſuo arbitrio ad communionem accedere, modo tamen à culpa purus, aut per confeſsionem, si neceſſe foret purgatus. Verùm ut apertè oſtendam vanitatem hujus argumenti, quod ita extollunt Hæretici, sic illud contra ipſos retorqueo. Vel Pænitentiarius à Nectario abrogatus excipiebat confeſsionem Sacramentalem pænitentium? vel non? si hoc ſecundum; ergo abrogando Pænitentiarium non abrogavit confeſsionem Sacramentalem. Si primum, ergo vigebat in Ecclesia confeſsio Sacramentalis octo ſæculis ante Innocentium III. & Concilium Lateran. ergo ſplendidè & inverecundè mentiuntur Hæretici, dum garriunt illam eſſe inventum Innocentii.

Ob-

Objic. 2. *S. Chryſoſt.* Nectarii ſucceſſor hom. 21. ad populum Antioch. dicit: *Non cogit Deus in medium procedentes, quæ peccavimus, annunciare, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri.* Hom. 2. in Pſal. 50. *Peccata autem tua ipſe commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico, ut ea conſervo exponas, qui te probis impetat; dic Deo, qui iis medetur.* Et hom. 55. de Lazaro reſuſcitato: *cur igitur te, quæſo, pudeſcis & erubeſcis dicere peccata tua? Non enim homini dicis, ut te probrô afficiat; non enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat. Imo ei, qui eſt Dominus --- oſtendis vulnera.* Et alibi ſimiliter.

Reſp. S. Chryſoſt. his & ſimilibus textibûs excludere duntaxat neceſsitatem confeſsionis publicæ: dicit enim primo: *non cogit Deus in medio procedentes, quæ peccavimus annunciare.* In ſecundo: *non dico tibi, ut ea dicas conſervo tuo, qui te probrîs impetat.* In tertio: *non enim confiteris conſervo tuo, ut in publicum proferat.* Similiter alii textus, qui ſolent objici. Hæc autem omnia important confeſsio-

nem

nem publicam, ex qua erubeſcentia, pudor, infamia & exprobrationes naſci ſolent. Nec,quod bene advertas,unquam dixit Chryſoſtomus: *ne confitearis Sacerdoti, ne declares peccata tua miniſtro Dei.* Sed econtra oppoſitum docet in locis à nobis inter probationes citatis. Cum ergo dicit, ſoli Deo eſſe confitendum, non excludit ejus vicarium ſeu miniſtrum, ſed homines æqualis conditionis, quos ideo *conſervos* vocat, qui poſſent audita crimina propalare & exprobrare. Apud Chryſoſtomum enim & alios Patres, quod fit per Chriſti aut Dei miniſtrum, dicitur fieri non per hominem, ſed per ipſum Chriſtum aut Deum.

Objic. 3. Nullibi legimus fideles priorum ſæculorum ſive in vita, ſive in morte confeſsionem Sacramentalem adhibuiſſe, quanquam vitam & mortem plurium deſcriptam habeamus;ergo prioribus &c.

Reſp. 1. *nego conſeq.* Tum quia ex argumento negativo nihil evincitur, præſertim contra ea teſtimonia, quibus probavimus ex Traditione confeſsionem

Sacramentalem habitam ſemper fuiſſe in Eccleſia ut neceſſariam; tum quia quæ uſu quotidiano frequentantur, non ſolent ſcriptis mandari, utpote omnibus nota.

Reſp. 2. *nego ant.* Nam *1mo*: *S. Irænæus* l. 1. de hæres. cap. 13. alias 9. narrat quaſdam mulieres à Marco præſtigiatore oppreſſas cum in Eccleſiam redirent, crimen ſuum confeſſas fuiſſe. Neq; dicas ibi agi de confeſsione publica: confeſsio enim publica ſupponebat ſecretam, tanquam regulam directivam publicæ. 2*do*: *S. Cyprianus* tract. de lapsis refert, plures confeſſos fuiſſe peccata cogitationum 3*tio*: *Euſebius* l. 6. Hiſt. c. 34. refert *Philippum* Imp. ſua peccata confeſſum fuiſſe, & cap. 36. *Serapionem* lapſum in perſecutione, morti proximum advocaſſe Presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet. 4*to*: *Socrates* & *Zozomenus* referunt exemplum confeſionis illius mulieris, ex qua tantum ſcandalum ortum eſt. 5*to*: *Paulinus* in vita S. Ambroſii ſcribit ipſum ſæpius excipere confeſsiones pænitentium, de quorum peccatis *nulli, niſi*

Do-

Domino soli loquebatur. 6to: *S. August.* epist. 180. nunc 228. narrat; instante hostium incursu *magnum fieri ab utroq; sexu, & ab omni ætate concursum, aliis baptismum flagitantibûs, aliis reconciliationem, aliis pœnitentiæ ipsius actionem.* Plura alia confessionum exempla refert *Tournely*; ut S. *Fulgentii*, S. *Isidori* Hispalensis, S. *Elegii*, S. *Tilonis*, S. *Richarii* & aliorum.

DIGRESSIO I. HISTORICA.

Utrum confessio publica aliquando fuerit in præcepto?

Dico 1. Confessio publica peccatorum occultorum nunquam fuit in præcepto.

Prob. ex Concilio Trid. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: *non satis consultè humana lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Ecclesia autem à Spiritu S. directa nihil unquam fecit, aut facit inconsultè. Idem habetur ex *Chrysost.* homil: 21. & 55. ex *Zozomeno* l. 7. c. 16. ex S. *Basilio* epist. ad Amphilochium c. 34.

Quod-

Quodsi quandoq; peccata ſecreta confeſsione publicâ fuerint vulgata, vel jam erant pluribus nota, sive ex confeſsione libera pænitentium, sive ex aliorum relatione, sive aliâ viâ; vel si erant omnino occulta, pænitentes ex fervore pænitentiæ, vel ex ſuasione, non præcepto Confeſsarii, ſponte ea publice confitebantur. Nec refert, quod SS. Patres ſæpe hortentur peccatores, ut ſeposito omni pudore, crimina ſua aperiant, nec fratrum conſpectum formident, id enim intelligitur de confeſsione orali facienda Sacerdoti.

Dico 2. Peccata publica confeſsioni publicæ fuiſſe aliquando obnoxia, ex præſcripto canonum, & lata lege, incertum eſt, nec ullo antiquitatis evinci poteſt. Nec obeſt, quod ſubjicerentur pænitentiæ publicæ; non enim pænitentiam publicam ſemper comitabatur confeſsio publica: plura peccata occulta ſubjiciebantur pænitentiæ publicæ, quæ tamen publicæ non declarabantur; imo plures ex zelo & pietate proprio motu ſe ſubjiciebant pænitentiæ publicæ, qui tamen ſua peccata non divulgabant.

Dico 3. Primîs Ecclesiæ ſæculîs, quidam pænitentes peractâ confeſsione ſecretâ, quædam peccata non ſolum publica, ſed etiam occulta publicè confitebantur, vel motu proprio ex fervore pænitentiæ, vel hortante, non tamen cogente Confeſſario, in majorem vindictam & humiliationem, atq; in aliorum exemplum & ædificationem Eccleſiæ.

Prob. ab exemplo mulieris oppreſſæ à Diacono, occaſione cujus Nectarius officium Pænitentiarii abrogavit, ut diximus in reſp. ad obji. 1. Idem confirmat *Iræneus* l. 1. adverſus hæres. c. 13. alias 9. *Origenes* hom. 2. in Pſal. 37.

Conſectarium.

Confeſsionem ſecretam publicæ tum confeſsioni tum pænitentiæ ſemper præiviſſe, atq; illam fuiſſe Sacerdotibus regulam indicendi pænitentibus pænitentiam canonicam, & confeſsionem publicam eorum peccatorum, quæ sine famæ diſpendio & ſcandalo, ſed in majorem pænitentium utilitatem, & Eccleſiæ ædificationem poterant divulgari,

ri ; quod diligenter observandum est contra Hæreticos, qui cùm confessionis secretæ usum negare non possunt, contendunt eam derivari, ac ortum ducere ex pænitentia, seu confessione publica, cúm ècontra constet ex dictis, publicam tum pænitentiam, cúm confessionem à secreta derivari, & hanc fuisse publicæ normam & regulam.

DIGRESSIO II. HISTORICA.

De veteri Ecclesiæ disciplina circa pænitentiam publicam seu solemnem.

Dico 1. Fuit olim in Ecclesia usus triplicis pænitentiæ, scilicet privatæ, solemnis & publicæ. *Privata* in secreto agebatur ex præscripto confessarii, qualis nunc peragitur, dum confessarius injungit certis diebus per mensem aut annum jejunium, orationem, aut aliquid aliud. Hanc olim viguisse constat ex eo, quod non omnia peccata subjicerentur pænitentiæ publicæ, & tamen sunt omnia pænitentiâ expianda. Pænitentia *solemnis* erat, quæ peragebatur cum certis

ſolemnitatibus, & ſecundum varios gradus. *Publica* erat, quæ quidem, publicè agebatur, ſed ſine ſolemnitatibus & gradibus; talis erat pænitentia eorum, qui vg. plectebantur peregrinatione, exilio, detruſione in Monaſterium. Unde omnis pænitentia ſolemnis erat publica, ſed non ècontra.

Dico 2. Ab exordio Eccleſiæ ad *Montanum* circa medium ſæculi II. fuit aliqualis uſus pænitentiæ publicæ, ſed non ſolemnis.

Prima pars conſtat exemplo Corinthii inceſtuoſi, iterum mulierum à Marco præſtigiatore oppreſſarum, de quibus *Irœneus* II. ſæculo l. 1. adverſus hær: c. 9.

Secunda pars iiſdem exemplis patet, quamvis enim horum pænitentia fuerit publica, non tamen fuit ſecundum cæremonias, gradus & tempus pænitentiæ ſolemnis. Item ex l. *Hermæ* ſeu *Paſtoris*, in quo fit ſæpe mentio pænitentiæ, abſq; ulla deſignatione temporis cæremoniarum, aut graduum. Ex *Euſebio* l. 5. Hiſt: c. ult: ubi refert juvenem prædonem à S. *Joanne* Evangeliſta, & Natalium Epiſc: à *Zephirino*, ſtatim abſq; diutur-

diuturniori pænitentia ad Ecclesiæ communionem receptos fuisse. Quod verò posset opponi ex can: 24. inter Apostolicos, nullius est ponderis; quia notum est, hos canones non esse ab Apostolis traditos, & quamvis sint antiqui, non omnes tamen pari antiquitatis jure gaudent. At cùm Montanistæ exprobrarent Catholicis, quod indulgerent idololatris, mæchis, & homicidis; Ecclesia cum iis severius agere cæpit, durioremq; & diuturniorem pænitentiam injunxit, nondum tamen solemnem. Exorta verò circa medium III. sæculi hæresi Novatianorum, qui Montanistis juncti, peccatoribus, quibuscumq; quantumvis pænitentibus veniam & communionem denegandam esse contendebant; atq; sub specioso disciplinæ zelo, contra Ecclesiam, quasi pollutam debacchabantur, eo quod idololatriæ, & gravissimis criminibûs reis communionem & pacem redderet, hacq; facilitate veniæ, incentivum peccandi præberet: Ecclesia ex una parte horum Hæreticorum crudelitatem detestans, & ex altera ipsis querelarum occasionem auferre volens,

pru-

prudenter ſtatuit, omnibus peccatoribus verè converſis veniam quidem eſſe concedendam; nocentiores tamen ſeveriori pænitentiâ eſſe mulctandos; ideoq; pro iſtis inſtituit pænitentiam ſolemnem ſecundum quatuor gradus, qui ſunt: *fletus*, *audientia*, *ſubſtratio*, & *conſiſtentia*. Hos expreſſit S. *Greg*: Thaumaturgus circa idem tempus epiſt: can: 11. & dato ut quidam arbitrantur hunc canonem epiſtolæ S. *Gregorii* eſſe aſſutum faltem can: 7. 8. & 9. exprimuntur gradus *audientiæ*, *ſubſtrationis* & *conſiſtentiæ*. Inſuper in Concilio Ancyran. anno 314. c. 5. referuntur hi gradus tanquam in Eccleſia jam antea recepti: illosq; diſtinctè exprimit S. *Baſil.* circa annum 370. in epiſt: ad Amphiloc: can: præſertim 75.

Dico 3. *Flentes* habitu ſordidô induti, ciliciô circa collum cooperti, cinere in capite deturpati, & per manuum impoſitionem ab Epiſcopo ad pænitentiam admiſſi, ſtabant in porticu extra Eccleſiam, ſua peccata deflentes, & deteſtantes, & ingredientium preces implorantes. Inter eos quidem dicebantur

hyeman-

hyemantes; ii nempe qui ob crimen bestialitatis extra porticum ſub dio, inſtantiùs aliorum commiſerationem deprecabantur; his, ut quidam volunt. jungebantur energumeni. *Audientes* ſtabant intra fores Eccleſiæ in Propilæo; ubi audiebant lectionem ſcripturarum, & ſacras conciones, indeq; exire cogebantur, antequam inchoetur miſſa Catechumenorum. *Subſtrati* ſtabant a foribus Eccleſiæ uſq; ad Ambonem ſeu Pulpitum, in quo legebantur Epiſtola & Evangelium, & ibi proſtrati, ſeu genuflexi variîs pænîs, & laboribûs exercebantur, ita ut hæc ſtatio antonomaſticè vocaretur *Pœnitentia.* Frequenter ſuper hos fiebant manûs impoſitiones & orationes; cum Catechumenis exibant ad Offertorium. *Conſiſtentes* ſtabant ab Ambone, uſq; ad Sanctuarium, non egrediebantur cum catechumenis, ſed precibus & ſacrificiis, cum aliis fidelibus uſq; ad finem aſſiſtebant, ſola Euchariſtiæ participatione privati. Ea omnia compendio commemorat S. *Greg.* Thaumat: epiſt: citata. Præter hæc, & pænas cuilibet peccato aſſignatas in Canoni-

bus

bus, pænitentes non poterant ad sacros Ordines promoveri, nec Matrimonium contrahere, neq; ad uxorem accedere, & ideo conjugatis non injungebatur pænitentia solemnis, nisi altero conjuge consentiente; item non poterant militare, arma gestare, comas nutrire; tenebantur pedibus incedere, & mortuos sepelire.

Dico 4. Rigor pænitentiæ solemnis, a tempore *Nectarii* circa finem IV. sæculi, qui ut alibi diximus, Pænitentiarium exauctoravit, minui cæpit in Ecclesia orientali. Secundum nostrum *Goar* in suis notis ad Euchologiam Græcorum, tres primi gradus, scilicet: *fletûs, audientiæ*, & *substrationis* fuerunt extincti, sola *consistentiâ*, seu privatione Eucharistiæ retentâ. Volunt tamen alii, quod post istud factum, adhuc viguerit quo ad omnes gradus, sed rarius & propter atrociora tantùm crimina à solo Episcopo imponenda; quia canone 87. Concilii Trullani anno 692. de maritis, qui legitimâ uxore repudiatâ aliam ducunt, dicitur: *à Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, bien-*

biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur. Niſi fortè dicas, Patres hujus Concilii, revocare quidem in mentem, quod olim hac in re ſtatutum fuerit, at ejus obſervationem non præcipere. In Eccleſia occidentali diutiùs ſubſtitit rigor pænitentiæ ſolemnis, nec niſi poſt VII. ſæculum antiquari cæpit; ab hoc enim tempore in pænitentialibus & ritualibus nulla amplius fit mentio ſolemnium graduum, nec impoſitionis manuum, quâ pænitentes reconciliabantur, & locò pænitentiæ ſolemnis, injunctæ ſunt peregrinationes, receſſus in Monaſteria, eleemoſynæ & alia pia opera. Hujus mutationis occaſio tribuitur *Theodoro* Epiſc: Cantuarienſi, qui cùm eſſet natione Græcus, Eccleſiæ ſuæ ritum in ſuo Pænitentiali inſeruit.

Petes 1. Quæ peccata fuerint pænitentiæ ſolemni ſubjecta?

Reſp: 1. Peccata omnino occulta nunquam vi canonum pænitentiæ publicæ, ſeu ſolemni fuerunt obnoxia; ſed ea tantum, quæ aliquo modo erant publica. *Ratio eſt.* Nam Concilium Neocæſarienſe

rienſe can: 4. eximit à pænitentia publica peccata cogitationis. S. *Baſilius* epiſt: ad Amphiloch: mulieres adulteras. S. *Gregorius* Niſſenus epiſt: ad Letojum c. 6. furtum occultum; ergo.

Reſp: 2. Non omnia peccata mortalia etiamſi publica, ſubjiciebantur pænitentiæ ſolemni, ſed atrociora tantùm, præſertim idololatria, mæchia & homicidium, & quæ ad ea manifeſtè reducuntur, quibus poſtea quædam alia adjuncta ſunt. *Ratio eſt*: Quia apud Patres & Synodos III. & IV. ſæculi. *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Origenem*, *Gregor*: Thaumat: Synodum Eliberitanam, Ancyranam, Neocæſarienſem, nonniſi hæc tria aſſignata, & eorum ſpecies, pænitentiæ ſolemni addicuntur. Inſuper Concil: Laodicenum anno 330. can: 7. à pænitentia ſolemni eximit Hæreticos. S. *Baſil*: epiſt: ad Amphil: c. 14. & 30. S. *Greg*: Niſs: epiſt: ad Letojum c. 6. eximunt uſurarios, avaros, fures & raptores.

Petes 2. Utrum Clerici majores, ſcilicet: Sacerdotes & Diaconi ſubjicerentur pænitentiæ ſolemni?

Morinus, *Natalis* Alex: *Juenin* & alii cen-

censent, subjectos fuisse tribus sæculis, IV. autem sæculo ab ea fuisse liberos. Negant alii pro quovis sæculo cum quibus.

Resp: Sacerdotes & Diaconi quamvis possint spontè suscipere pænitentiam solemnem, nunquam tamen ad eam subeundam lege latâ fuerunt obnoxii. *Ratio est*: S. *Petrus* Alexand: inter canones, quos edidit can: 10. & S. *Basil.* c. 51. assignant pro pænitentia Clericis, amotionem à suo ministerio, & communionem laicam; alioquin, inquit Basilius, si Clericus insuper subjiceretur pænitentiæ solemni, duplici suppliciô puniretur. *Optatus* Milev: l. 2. contra Parmen: & *August*: l. 1. de Bapt: c. 1. redarguunt Donatistas, qui lapsis Clericis majoribus manus imponebant, & addit *Optatus* id ad usq; sua tempora non esse factum.

Petes 3. An pænitentia solemnis concedebatur semel tantùm?

Resp: Pænitentia solemnis semel tantùm concedebatur. *Ratio est*: ex S. Ambr: qui l. 2. de Pænit: cap: 10. ait: *Sicut unum baptisma, ita una pænitentia, quæ tamen publice agitur.* S. August: epist: 54. ad Maced: nunc 153. dicit: *locum humilli-*

millimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedi. Hujus disciplinæ rationes sunt *1ma:* ne ex iteratione, pænitentia solemnis vilesceret. *2da.* propter significationem; quia significat expulsionem primi hominis de Paradiso, quæ semel tantum facta est *3tia.* quia solemnisatio est quasi quædam professio, pænitentiam perpetuò servandi, & ideo iteratio solemnitati repugnat.

Petes 4. Quotuplex fuit in pænitentia solemni manûs impositio?

Resp: Multiplex erat in pænitentia solemni manûs impositio. Nam *1ma* erat, dum pænitentes ad pænitentiam ab Episcopo admittebantur, ex can: 15. concil. Agath: can: 12. Conc: Tolet: II. ex S. Leone epist: ad Rusticum. *2da*, & sæpius iterata erat in substratione. Ex can. 80. Conc: Carth: anno 398. ex cap: 11. Conc: Tolet: anno 589. ex August: serm: 232. de temp: alias 144. *3tia* erat, dum de gradu substrationis pænitentes ad consistentiæ gradum transibant, innuitur in epist: S. Cypr: 10. 11. 12. *4ta.* demum erat, dum finitô pænitentiæ tempore, pænitentes perfectè reconciliabantur, & ad perceptionem Eucharistiæ

admit-

admittebantur. Ex can: 78. Conc: Carthag: IV. & 3. Conc: Araus. 1. & hæc à ſolo Epiſcopo fiebat, ut mox dicam.

Petes 5. Quotuplex fuit pro pænitentibus ſolemnibus reconciliatio?

Reſp: Duplex erat reconciliatio pro pænitentibus ſolemnibus. Una minor & prima: altera major & ſecunda. *Prima* fiebat poſt ſubſtrationem ſeu tertium gradum, & per eam pænitentes reconciliabantur cum Eccleſia, quo ad communionem precum & ſacrificii, cui adeſſe poterant cum aliis fidelibus uſq; ad finem. *Secunda* fiebat poſt conſiſtentiam ſeu quartum gradum, & per eam pænitentes reconciliabantur Eccleſiæ, etiam quo ad participationem Euchariſtiæ, ad quam liberè ſicut alii fideles poterant accedere. Primam concedere poterant ſimplices Presbyteri, vel intra Eccleſiam de conſenſu Epiſcopi, vel extra Eccleſiam in caſu neceſſitatis, etiam inconſulto Epiſcopo, ſi abeſſet. Secundam nunquam concedebant ſimplices Presbyteri, niſi in caſu mortis ex mandato Epiſcopi, poſt informationem de ſtatu pænitentis periclitantis quo ad corpus & animam;

ita

ita ut aliquando pænitentes etiam in morte, communione Euchariſtica privarentur, ſi Epiſcopus abſens conſuli non poſſet. Hæc ultima reconciliatio fiebat feria V. majoris hebdomadæ ſaltem in Eccleſia Rom: & in omnibus ferme Eccleſiis occidentalibus. Epiſcopus pænitentibus occurrebat ad oſtium Eccleſiæ, & apprehenſa unius manu, introducebat eos in medium templi, ubi præmiſſis certis precibûs, & impoſitâ manu eos reconciliabat. Reconciliati verò depoſitìs ſordidìs veſtibûs, barba & crinibus, mundius ornati procedebant.

Petes 6. Utrum hæc ultima & ſolemnis reconciliatio poſt peractam pænitentiam, eſſet reconciliatio cum Deo per abſolutionem Sacramentalem, an ſolum reconciliatio cum Eccleſia per admiſſionem ad Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum participationem?

Reſp: Probabilius eſt hanc ultimam reconciliationem, non fuiſſe reconciliationem cum Deo per abſolutionem Sacramentalem, quam ſupponebat; ſed tantum reconciliationem cum Eccleſia, quo ad oblationes & participationem Euchari-

ſtiæ.

ſtiæ. *Ratio eſt.* Pænitentia ſolemnis protrahebatur aliquando ad decem, ad viginti annos, aliquando uſq; ad finem vitæ; atqui prorſus incredibile eſt abſolutionem Sacramentalem, quæ eſt remedium à Deo inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, tamdiu differri iis, qui tàm duram pænitentiam agebant, & qui ipſa tantæ pænitentiæ ſuſceptione ſe verè pænitentes probabant; ergo.



DISSERTATIO VI.

De Sacramento extremæ Unctionis.

Multæ ſunt unctiones in Eccleſia. *Prima* eſt baptizandorum, ſeu Catechumenorum in pectore, & ſcapulis. *Secunda eſt* baptizandorum in vertice. *Tertia* eſt confirmandorum in fronte. *Quarta* eſt Sacerdotum in manibus, dum ordinantur; & Epiſcoporum in manibus, & in capite. *Quinta* in altaris, Eccleſiæ & calicis conſecratione,

ne,

ne. *Sexta* Et ultima infirmorum, in partibus quinq; ſenſuum exteriorum, & ideo dicta *extrema unctio* Variîs nominibûs inſignitur hoc Sacramentum: apud Latinos dicitur *Sacramentum exeuntium*; *Unctio ſacri olei*, communiter *extrema Unctio;* apud Græcos *Sanctum oleum*, *oratio Unctioni olei conjuncta.* Definiri poteſt: *Sacramentum Unctionis infirmorum ad ſalutem animæ & corporis factæ per Sacerdotem ſub certa verborum forma.*

ARTICULUS I.
Utrum extrema unctio ſit Sacramentum?

Bellarminus & quidam alii poſt *Giudonem* Carmelitam, & *Æneam* Sylvium, inter Hæreticos negantes Sacramentum Extremæ Unctionis recenſent Valdenſes & Wikleſiſtas. At juxta illuſtriſſimum *Boſuetium* in hiſtoria Variat. Gaſparum *Juenin* & alios, hi non negàrunt, ſed contempſerunt dumtaxat hoc Sacramentum, eò quòd tunc quidam Presbyteri ex avaritia illud non niſi divitibus, aut mediante pretio, adminiſtrarent. Sed quidquid ſit de iſtis: certò conſtat Lutheranos & Calviniſtas

nega-

negare extremam unctionem esse Sacramentum, eosq; contendere unctionem de qua Marci 6. & Jacobi 5. nihil aliud operatam fuisse; quam corporis sanitatem, & eam, cessante in primitiva Ecclesia gratiâ curationum exolevisse. Unde Calv: l. 4. Instit: c. 19. vocat extremam unctionem Sacramentum fictitium, & histrionicam hypocrisim: contra quos.

Dico Extrema Unctio est verè & propriè novæ legis Sacramentum.

Prob: ex script: Jacobi 5. dicitur: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*; atqui in his verbis habemus signum sensibile gratiæ à Christo permanenter institutum; ergo. *Prob: min:* unctio & oratio per Presbyterum sunt signum sensibile, utiq; materia & forma hujus Sacramenti, gratia designatur his verbis: *salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio permanens, etsi non exprimatur, apertè colligitur; partim quia mandatum Jacobi

dirigitur non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes Ecclesias sine ulla limitatione locorum aut temporum, consequenter ad nos nunc non minus, quam ad eos, qui tunc erant, sicut alia, quæ ibidem præscribit & profert, ut; *patientes estote, nolite jurare; tristatur quis ex vobis, oret; orate pro invicem, ut salvemini &c.* quæ spectant omnia tempora, & omnes fideles præsentes & futuros. Partim quia ab Apostolorum tempore hæc institutio semper fuit in Ecclesia observata, ut constans est traditio, nam *Origenes* ineunte III. sæculo hom: 2. in Levit: ait: *est adhuc septima licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ panes die ac nocte, & non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum . . . in quo completur & illud, quod Apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleô, in nomine Domini, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Dicit, *in quo impletur*, scilicet Sacramentum extremæ unctionis, quia istud Sacramentum semper habitum fuit comple-

men-

mentum & consumatio sacramenti pænitentiæ ut dicit Trid: sess: 14. in proemio ad Sacramentum extremæ unctionis; sicut confirmatio est complementum baptismi. *Chrysostomus* circa annum 382. de Sacerdotio, loquens de Sacerdotibus dicit: *neq; enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô in nomine Domini, & obsecratio fidei salvum reddat laborantem, & eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ubi apertum est, S. Doct: loqui de unctione, de qua Jacobus. Id ipsum fatetur *Innocentius* I. an: 416. interrogatus à Decentio Eugubino Episc: de quibusdam dubiis circa hoc Sacramentum. Simile habet *August*: serm: 215. de temp: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sangvinem Christi, ille, qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat* (id est ungi curet) *ut illud quod scriptum est: impleatur in eo, infirmatur aliquis &c.* Et in speculo, inter ea, quæ præcipit novum Testamentum, recenset

verba Jacobi, *infirmatur quis in vobis &c.*
S. *Greg;* in Sacramentario: præſcribit
modum adminiſtrandi hoc Sacramentum.
Id ipſum confirmant Concilia, Cabilo-
nenſe anno 813. c. 48. Moguntinum
anno 847. cap: 26. Aquisgranenſe an-
no 896. cap: 4. Conſtantienſe anno
1414. mandat, ut redeuntes ab hæreſi
interrogentur, num credant[, *quod
Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sa-
cramentorum: confirmationis, & extre-
mæ unctionis*], *peccet mortaliter.* Conci-
lium Florentinum in Decreto unionis
anno 1439. & Trid: ſeſs: 14. inter Sa-
cramenta recenſent, extremam unctio-
nem. Conſenſus utriuſq; Eccleſiæ græ-
cæ & latinæ id ipſum probat. De lati-
na conſtat; pariter de græca ex Eucho-
logio Patris *Goar:*, ex cenſura Jeremiæ
Patriarchæ CPolit: adverſus Wittember-
genſes, & pluribus aliis. Qui autem
fieri potuit, ut tot Patres, tot concilia,
& omnes Eccleſiæ in unum figmentum,
& cæremoniam hiſtrionicam, tanquam
in verum Sacramentum conſentirent,
nullo reclamante. Svadetur ratione:
Chriſtus inſtituit Sacramenta, ut fideli-
bus

bus ſubveniret pro quovis tempore, & ſecundum quemvis ſtatum; ſic in ingreſſu Eccleſiæ eſt baptiſmus, in progreſſu & decurſu vitæ confirmatio, Euchariſtia, pænitentia &c. ergo & in exitu, in quo adverſarius noſter omnes verſutiæ ſuæ nervos ad nos perdendos intendit; non eſt autem aliud, quâm extrema unctio, quæ ideo dicitur Sacramentum exeuntium. Hanc rationem ſuam fecit Trid: ſeſs: 14. in proemio ad Sacramentum extremæ unctionis.

Objic: 1. Tribûs primîs ſæculîs nulla occurit mentio extremæ unctionis, neq; apud *auctorem* Conſtitutionum Apoſtolicarum, neq; apud *Dionyſium* Areopagitam, neq; apud *Cyrillum* Jeroſolimitanum, qui tamen de Sacramentis & ritibus Eccleſiaſticis accurate ſcripſerunt; item tribûs ſequentibûs ſæculîs nullus meminit extremæ unctionis datæ alicui in exitu; ergò.

Reſp: 1. *nego ant: Origenes* enim III. ſæculo extremæ unctionis ex Jacobo meminit, ut vidimus. Quantum ad *Dionyſium*, agit tantum de officiis Hierarchicis, non de ſingulis Sacramentis; *Cyrillus*

in

in catechesibus mystagogicis, ea tantùm explicat, quæ pertinent ad illuminatos seu recens baptizatos; *Clemens* autem, seu auctor Constitutionum Apostolicarum non obscurè indicat extremam unctionem, dum l. 8. c. 29. refert: benedictionem olei cum ista oratione, *Da vim effectricem sanitatis, morborum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem.*

Resp: 2. *dato ant: nego conseq;* 1*mo:* Quia ex argumento negativo nihil probatur; præsertim cùm adsunt in contrarium argumenta positiva. 2*do:* quia notum est, ex scriptis priorum sæculorum plura periisse. 3*tio:* quia ex disciplina Arcani, mysteria religionis occultabantur, & raro scriptîs referebantur. Inter arcana autem *Basilius* lib: de Spiritu S. c. 27. specialiter recenset *olei unctionem.* 4*to:* quia quæ quotidiano usu frequentantur, & sunt communia, non solent literis mandari, sic plures veteres, *Eusebius*, uterq; *Gregorius* Nazian: & Nissen: *Ambrosius*, *Severus* Sulpitius, *Metaphrastes*, *Hieronymus* &c. qui plurium mortem describunt, non referunt datum eis viaticum,

cum; ideone ſequitur non fuiſſe datum? cùm dari eſſet præceptum Concil: Nicæni I.

Inſt: 1. *Epiphanius* hæreſi 36. & *Auguſt*: hæreſi 16. inter errores Heracleonitarum recenſent unctiones infirmorum; ergò.

Reſp: Extremam unctionem quam frequentat Eccleſia, horum Hæreticorum unctione eſſe priorem, & ab illa longe diverſam; hi enim teſte *Epiphanio* citato, ungebant oleô aqua mixtô, vel ungventô ex balſamo & aqua, cùm cantilena ſuperſtitioſa Marci præſtigiatoris.

Inſt: 2. Noſtri Theologi non conveniunt de authore, materia, forma, & effectu extremæ unctionis; ergò.

Reſp: *nego conſequ:* Hæc enim diſſentio inter Theologos non obſtat, quo minus omnes agnoſcant unctionem, quæ fit in Eccleſia, eſse verum Sacramentum.

Inſt: 3. Eorum quæ Chriſtus inſtituit, fit mentio in Evangelio; atqui in eo non fit mentio extremæ unctionis; ergò.

Reſp: *nego maj: univerſaliter ſumptam.*

Mul-

Multa enim Dominus fecit & dixit, quæ in Evangeliis non continentur; illa enim præcipuè curaverunt Evangeliſtæ ſcriptîs tradere, quæ ad neceſſitatem ſalutis, & Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent; & ideo potiùs inſtitutionem baptiſmi, pænitentiæ, Euchariſtiæ & ordinis factam á Chriſto narraverunt, quam extremæ unctionis vel confirmationis, quæ, neq; ſunt de neceſſitate ſalutis, neq; ad diſpoſitionem ſivè diſtinctionem Eccleſiæ pertinent. Tamen etiam de olei unctione fit aliqua mentio in Evangelio Marci 6. ubi dicitur, quod Apoſtoli, oleô ungebant infirmos, per quod Sacramentum extremæ unctionis inſinuatur.

Objic: 2. cùm Hæreticis. Epiſtola Jacobi non eſt canonica; ergò.

Reſp: nego ant: Hanc enim pro canonica habet utraq; Ecleſia græca & latina. De græca conſtat ex *Origene* hom: 3. in Exod: ex *Cyrillo* Jeroſol: catech: 4. S. *Athanaſio* in epiſt: Paſchali, *Gregorio* Nazian: Carm: 33. & aliis. De Eccleſia latina pariter conſtat, ex *Clemente* Rom: epiſt: ad Corinth: ex *Innocentio* I. ad Exuperium & Decentium, ex *Gelaſio*

ſio in Synodo Rom: ex *Ambroſio* in Pſal: 118. *Hieronymo* adverſus Jovin: *Auguſtino* lib: de fide & operibus cap: 14. ex Concil: Carthag: Arauſicano II. & aliis: ſi iis fidem detrectent Hæretici, dicant, unde ſciunt, alios novi Teſtamenti libros, quos admittunt, eſſe canonicos?

ARTICULUS II.

Reliqua breviter circa Sacramentum extremæ unctionis dubia reſolvuntur.

Petes 1. Quæ eſt materia Sacramenti extremæ Unctionis?

Reſp: 1. Materia remota extremæ unctionis eſt neceſſariò, neceſſitate Sacramenti oleum olivarum, benedictum ab Epiſcopo ſaltem mediatè. *Prima* & *ſecunda* pars, ſunt certæ; duæ poſteriores probabiliores Itaq; Quod ſit *oleum* patet ex ipſa Jacobi epiſt: *Ungentes eum oleô, quibûs verbîs, inquit Trid: ſeſſ: 14. c. 1. ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta - - - intellexit Eccleſia materiam, eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Quod ſit *oleum olivarum,* expreſſè tradit Concilium Floren: in Decreto unionis: *cujus materia,* inquit, *eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum.* Patet

tet etiam, quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, dicitur enim oleum ab oliva; alii autem liquores ſolum ex ſimilitudine ad ipſum, olei nomen accipiunt. *Quod ſit benedictum ab Epiſcopo, quae ſunt duae ultimae partes, patet* ex Concil: Florent: & Trid: citatis, & ex PP. laudatis art: præc: qui pro materia hujus Sacramenti, aſſignant oleum ab Epiſcopo benedictum. *Saltem mediatè* dicitur, quia videtur ſufficere, ſi benedicatur á Sacerdote ſimplici ex commiſſione Epiſcopi; Sacerdotes enim Græci teſte *Arcudio* l. 5. Concordiæ cap: 2. & *Goario* in notis ad Euchologium Græcorum, atq; pluribus aliis, ex commiſſione Epiſcopi, benedicunt oleum infirmorum, quoties eo utuntur.

Reſp: 2. Materia proxima extremæ Unctionis eſt unctio: *ungentes oleó*, inquit S. Jacobus. Patet, quia materia proxima Sacramenti, eſt applicatio materiæ remotæ.

Reſp: 3. Probabile eſt, quintuplicem unctionem ſenſuum, eſſe de eſſentia Sacramenti. Eſt non ſolum S. Thomæ ſed etiam S. Bonav: & plurium aliorum præſertim Thomiſtarum. *Ra-*

Ratio quia ut dicit S. Thomas, ita ab omnibus obſervatur, ex qua univerſali Eccleſiæ praxi colligitur, probabiliter hanc quintuplicem actionem eſſe de neceſſitate Sacramenti vi inſtitutionis Chriſti.

Petes 2. Quæ eſt forma extremæ unctionis?

Reſp: Juxta Concil: Florent: & Trid: hanc eſſe formam: *per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum:* dum unguntur oculi; *per auditum*, dum unguntur aures; & ſic de cæteris. Unde forma extremæ Unctionis eſt neceſſariò deprecativa, nec ſufficit indicativa; tradit hoc Flor: in Decreto unionis, & Trid: citatum ubi ſubjungit: *intellexit enim Eccleſia - - - formam eſſè illa verba; per iſtam unctionem &c.*

Petes 3. Qui ſunt effectus extremæ Unctionis?

Reſp: 1. Primarius & principalis effectus extremæ unctionis, non eſt remiſſio peccatorum ſivè mortalium, ſivè venialium. *Ratio 1. P.* Extrema Unctio eſt inſtituta per modum curationis &

ſana-

ſanationis; atqui medicatio & ſanatio ſupponit vitam in eo, quem ſanat; ergò extrema unctio ſupponit vitam ſpiritualem, conſequenter abſentiam peccati mortalis, per quod vita animæ tollitur. *Ratio 2. p.* Sacramentum pænitentiæ vi ſuæ inſtitutionis ſufficiens eſt ad tollenda omnia peccata venialia; ergò non debuit aliud inſtitui pro eorum remiſſione.

Reſp: 2. Effectus primarius & principalis extremæ unctionis eſt gratia, ſeu augmentum gratiæ habitualis, connotantis ſpecialia auxilia contra proclivitatem in malum, torporem & debilitatem ad bonum, ex peccatis præcedentibus relictas, quæ ideo dicuntur reliquiæ peccatorum. *Ratio eſt.* Hoc Sacramentum cùm ſit medicatio & ſanatio, eſt primò & principaliter inſtitutum contra hos defectus, quibûs homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ & gloriæ; atqui hic defectus nihil aliud eſt, quàm quidam langvor, debilitas & ineptitudo ad hos actus, quæ in nobis relinquuntur ex peccato originali vel actuali; ergò.

Reſp:

Resp: 3. Alter ſecundarius effectus extremæ unctionis eſt ſanitas corporalis, non abſolutè, ſed conditionatè; ſi animæ expediat. Indicatur hic effectus his Jacobi verbis: *oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*. Salus autem iſta & alleviatio ſic primariò ſpectat animam, ut etiam ſecundariò comprehendat ſanitatem corporis, & ita aſſeritur à Concil: Florent: in decreto unionis, & à Trid: citato. Hanc autem ſanationem corporalem facit, non ſolùm ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans, nunquam inducit ſecundarium effectum; niſi ſecundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc Sacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſanationem ſpiritualem, & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.

Petes 4. Quis eſt miniſter extremæ unctionis?

Reſp: 1. Solus Sacerdos eſt miniſter extremæ unctionis. *Ratio eſt*: ex illo Jacobi: *infirmatur quis in vobis; inducat Preſbyte-*

sbyteros &c. Per Presbyteros autem intelligi non ætate ſeniores è populo, ut contendunt hæretici, ſed ſacerdotiô initiatos; evincitur hoc momentô. Quia licet vox græca *Presbyter* ſecundum etymologiam ſignificet ætate ſeniorem, attamen in ſcriptura novi teſtamenti, ubicumq; agitur de muniis Eccleſiaſticis, per Presbyteros nunquam intelliguntur ætate ſeniores, ſed gradû & Sacerdotii dignitate majores, ut Act. 14. v. 12. ad Timoth: 5. 1. Petri 5.

Resp: 2. Licet poſſit quilibet Sacerdos etiam excommunicatus aut degradatus, validè conferre hoc Sacramentum, non tamen licitè niſi ſit Parochus, aut alter de ejus licentia. *Ratio 1. p.* Quia poteſtas validè conferendi hoc Sacramentum, non ineſt Sacerdoti ratione jurisdictionis, ſed ratione ordinis; non enim dixit S. *Jacobus* inducat Parochum aut Epiſcopum, ſed *Presbyteros*; neq; hoc Sacramentum exercetur per modum judicii, ſicut Sacramentum pænitentiæ, quod ideo requirit jurisdictionem in Judice. *Ratio 2. p.* Quia ad paſtorem pertinet paſcere oves, quod officium potiſ-

ſimum

ſimum exercetur in adminiſtratione Sacramentorum. Et ideo baptiſmus quantumvis neceſſarius, debet tamen extra caſum neceſſitatis miniſtrari à Parocho. Hinc Clementina de *Privilegiis* l. 5. tit: 7. c. 1. excommunicantur ipſo facto excommunicatione Papæ reſervata Religioſi, qui ſine Parochi licentia Clericis aut Laicis Sacramentum extremæ unctionis, vel viatici miniſtrant, matrimoniavè ſolemnizant. Id tamen intellige ſecundum communem interpretationem contra *Navarrum* extra caſum neceſſitatis; ſi enim Paſtor eſſet abſens, aut ſi præſens, nollet conferre Sacramentum, poſſet alter quilibet Sacerdos ſive Regularis licitè, & abſq; periculo cenſuræ, illud adminiſtrare; intentio enim Eccleſiæ fuit impedire, ne Regulares prætextu privilegiorum involarent in jura Paſtorum, non verò fraudare fideles hoc ſalubri Sacramentô, dum neceſſitas urget. Quamvis fuerit olim, & etiam nunc ſit in hoc diverſa Eccleſiæ diſciplina, abſolutè ſufficit unus Sacerdos ad collationem hujus Sacramenti. Patet hoc ex Rituali Rom: *Pauli* V. & praxi totius Eccleſiæ

Lati-

Latinæ. Deniq; non eſt ratio, cur ad hoc Sacramentum potius, quam ad cætera non ſufficiat unus Sacerdos.

Petes 5. Quod eſt ſubjectum extremæ Unctionis?

Reſp. Extrema unctio non debet conferri niſi infirmis, iisq; periculosè decumbentibus. *Ratio 1. p.* ex illo Jacobi: *infirmatur quis ex vobis* &c. *oratio fidei ſalvabit infirmum.* 2. ex Synodis Florent: & Trid: citatis. *Ratio 2. p.* Quia to *infirmatur*, & præſertim to *infirmum* in textu Jacobi juxta interpretes, ſignificant græcé deficientem, & graviori morbo laborantem.



DISSERTATIO VII.

De Sacramento Ordinis.



Subverſionem Catholici dogmatis de exiſtentia Sacramenti ordinis relati ante Novatores Acatholici velut è longinquo moliuntur. Pernegant dari in Chriſti Ec-

clesia ordinem ministrorum hierarchicum, seu statum quemdam ministrorum à laicali sive populari distinctum, aut si quid discriminis Clericos inter & Laicos ponatur, totum id, quantum est, ab arbitraria hominum institutione profluere.

ARTICULUS I.
Utrum ordo sit Sacramentum?

Ordo definitur à Magistro sententiarum l. 4. *signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*: quam definitionem approbat S. Thomas hic art: 2. *signaculum* id est: signum exterius, est genus, cæteræ particulæ differentia. Ab aliis definitur etiam bene, *Sacramentum novæ legis, quo traditur Spiritualis potestas, & confertur gratia, ad debitè obeunda munia Ecclesiastica.*

Dico. Ordo seu ordinatio, quâ in Ecclesia inaugurantur sacri ministri, est verum & propriè dictum novæ legis Sacramentum.

Prob: Ordo seu ordinatio est signum sensibile collativum gratiæ, permanenter à Christo institutum; ergo. *Prob: ant.* 1. Est *signum sensibile*, notum est enim

conferri modo, & ab initio fuisse collatum aliquo signo exteriori, sive exhibitione instrumentorum, sive impositione manuum, ut habetur Act: 6. & 1 Timoth: 4. 2do. est *collativum gratiæ* constat ex epist: 1. ad Timoth: c. 4. *noli*, inquit Apost: *negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam*, id est: per revelationem mihi factam de te ordinando, *cum impositione manuum Presbyterii*. Et 2. ad eundem 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*. 3tio. est *permanenter institutum*, patet ex imperturbato usu Ecclesiæ ab Apostolis usq; ad nos. 4to. est à *Christo institutum*, quia solus Deus potest instituere signa collativa gratiæ. Adstipulantur SS. Patres *Greg*: Nazian: orat: in baptisma Christi. *Aug*: l. 2. contra Parmen: c. 13. *Hieronym*: contra Lucifer. *Chrysost*: l. 3. de Sacerdotio & alii plures. Item Concil: Chalced: c. 2. Flor: in decreto unionis. Adde consensum utriusq; Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. quæ ordinem in numero Sacramentorum recenset; ergò.

Objic: 1. Impositio illa manuum, de qua Apost: erat cæremonia communis, quam

quam ipſe, & alii Apoſtoli adhibebant, dum curabant infirmos, aut pro aliquo orabant; ergo.

Reſp: Apoſtolos equidem manuum impoſitionem adhibuiſſe dum curabant infirmos, aut aliquem Deo commendabant, at alia & ſingularis fuit, quæ in ordinatione miniſtrorum fiebat; tum quia ad hanc ſequebatur gratia; tum quia Apoſt: 1. ad Timoth: 5. dicit, *manus nemini cito impoſueris, neq; communicaveris peccatis alienis*; certum eſt autem, quod imponere manum ad curandos infirmos, aut ad orandum pro aliquo, quisquis ſit, non ſit communicare ejus peccatis, ſicut communicaret, qui ordinaret indignum, & ideo monet Apoſt: ne id fiat ſine maturo examine.

Inſt: Ordinatio apud nos fit per Epiſcopos, ordinatio autem Timothei fuit facta per Presbyteros, *per impoſitionem manuum Presbyterii*, inquit Apoſt: ergo.

Reſp: Nego min: Per Presbyterium enim non intelligitur Presbyter, ſed cætus Sacerdotum. Dicitur igitur Timotheus ordinatus *per impoſitionem Presbyterii*, quia plures Sacerdotes impoſuerunt

ei manus, unde ipſemet Apoſt: in altera epiſt; ad eundem Timoth: dicit: *per impoſitionem manuum mearum*, & Chryſoſt: hom: 13. in 1. epiſt: ad Thimoth: exponens illa verba, *per impoſitionem manuum presbyterii*, dicit: non de Presbyteris hoc ait, ſed de Epiſcopis, non enim Presbyteri Epiſcopum ordinarunt.

Dices Chriſtus Apoſtolos ordinavit ſine manuum impoſitione; ergo.

Reſp: *1*. *nego ant*: eſſe incertum, non enim omnia quæ Chriſtus fecit ſcripta ſunt. *2do*. *Dato ant*: *nego conſequ*; Habebat enim Chriſtus poteſtatem excellentiæ, quæ non erat alligata ſignis exterioribus, ſicut poteſtas Eccleſiæ.

Objic: 2. Sacramenta ordinantur per ſe ad ſanctificationem ſuſcipientium; atqui ordo non ordinatur per ſe ad ſanctificationem ſuſcipientium, ſed potius aliorum; ergo.

Reſp: *diſt*: *maj*: Sacramenta ordinantur per ſe primò ſemper ad ſanctificationem ſuſcipientium *nego* per ſe primo vel per ſe ſecundo *conc*: Hoc autem Sacramentum, per ſe primo ordinatur ad dignam adminiſtrationem Sacramentorum,

rum, quæ eſſe non poteſt ſine gratia ſanctificante.

Conſectarium.

Uti Proteſtantibus, Eccleſia, nonniſi æqualium ſocietas vel collegium eſt, ita èccontra Catholicis inconcuſſum veritatis dogma eſt, Eccleſiam ſocietatem eſſe inæqualem ex *imperantibus* & *ſubditis* compoſitam, in qua ſacrum principatum tenent Clerici, ita tamen, ut & inter eos diverſi majoritatis & obedientiæ gradus ſint, laicis, cujuſcunq; ſint dignitatis ac ordinis in *ſpiritualibus* ſolâ relictâ, obedientiæ gloriâ. Appellatur hic ſacer principatus, derivato à græcis nomine, *Hierarchia Eccleſiaſtica*, quæ definiri in genere poteſt: *poteſtas à Deo inſtituta & perſonis ſacris eum in finem legitimè collata, ut in Eccleſia Chriſti miniſterium & regimen exerceant.* Unde duplicis generis Hierarchia ſe prodit, alia eſt *miniſterii* ſeu *ordinis* alia *jurisdictionis*. Prior vel proximè, vel remotè circa corpus Chriſti verum, ſive SS. Euchariſtiam verſatur; poſterior circa corpus Chriſti myſticum, omnem clavium poteſtatem ſuo ambitu complectens.

ctens. Personæ sacræ ex prima Hierarchiæ specie, quæ potestatem SS. Eucharistiæ mysterium conficiendi accesserunt; dicuntur esse in Sacerdotio ut *Episcopi* & *Presbyteri*, aliæ in ministerio tantum, eæq; vel in *majoribus ordinibus* sive *sacris*, ut si aut Diaconatûs gradu aut Subdiaconatûs insignitæ sint, quæ conficienti propius ministrant, vel si ministrant remotius, *in ordinibus minoribus* quo pertinent *Ostiarii*, *Lectores*, *Exorcistæ*. *Acolythi*, quibus singulis ad Hierarchiam per *primam tonsuram* via parari debet. Omnes ordinem efficiunt, qui ordo Hierarchicus ministrorum Ecclesiæ dicitur, item passim ordo Clericalis, vel uno verbo Clerici.

ARTICULUS II.

Ad quem pertineat jus instituendi Ministros?

Sub generali *institutionis* nomine tria hic veniunt. Electio, ordinatio, vocatio sive missio; *electio* est certæ personæ ad præfecturam Ecclesiæ designatio. *Ordinatio*, sacer ille ritus est, quo ministri consecrantur, iisq; exercendi functiones sacras in Ecclesia, potestas confertur,

tur, ut dum ungitur & consecratur Episcopus vel Sacerdos. *Missio sive vocatio* jurisdictionem confert, req; ipsa & actu pastorem & præsulem facit. Est igitur celeberrima controversia Catholicos inter & Novatores ultimos, penes quem jus illud resideat ministros Ecclesiæ, pastores, præsertim Episcopos ita instituendi? Jus *ordinandi* ex lege Divina Christi solis Episcopis competere. Pariter non esse populi alteriusvè, sed Episcoporum maximè Summi Pontificis *vocare sive mittere* Ministros, ex iis abundè constat, quibus Tract: de Virt: Theol. demonstratum est, Ecclesiasticam jurisdictionem non esse in ipso cætu fidelium, sed principaliter in Rom: Pontifice D. Petri Successore, deinde in Episcopis. Solum hic in controversiam venit. An electio ministrorum, etiam ad populum & quidem *jure Divino* pertinet? dixi *jure Divino* nam & populo & cæteris ex laicorum ordine, posse *jure humano* concessione Ecclesiæ, uti jus præsentandi, nominandi, sic & eligendi convenire, facilè concedunt Catholici.

Duplex verò circa hanc controver-

siam

ſiam occurrit Novatorum error. Primus Joannis Wikleſi, & Joannis Hus docentium teſte Thoma Waldenſi l. 2. doctr: fidei c. 39. Dei ſolius munus eſſe, eligere paſtores Eccleſiæ, quod ſoli pii & prædeſtinati eſſe poſſint paſtores & Epiſcopi, ſolus verò Deus noverit, qui pii & prædeſtinati ſint. Colligitur hic error eorum amplius ex Conc: Conſtantienſi quod ſeſſ: VIII. damnat hunc articulum Wikleſi 8. *ſi Papa ſit præſcitus, & malus, non habet poteſtatem ſupra fideles* & hunc 40. *electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta*, tum ſeſſ: 15. hunc Joannis Hus 22. *Papa vel Praelatus malus & praeſcitus eſt aequivocè Paſtor.* Alter eſt Lutheri lib: de poteſtate Papæ, item Calv: libro 4. Inſtit: cap: 3. § 15. tum quorundam Proteſtantium hodie, totam miniſtrorum inſtitutionem jure divino ad Eccleſiam univerſam, hoc eſt: clerum & populum pertinere volentium, adeo ut ſine populi conſenſu ac ſuffragio nemo legitimè electus aut vocatus cenſendus ſit. *Hunc ritum*, inquit Luth: lib: cit: *per multas epiſtolas Cyprianus commemorat, ſemper ſuffragium populi, & judicium propin-*

quo-

quorum Epiſcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronunciet. Calvinus in eundem ſonum concinit cit: loco: *Habemus, eſſe hanc regulam, ex verbo Dei, miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei; praeeſſe autem debere electioni alios paſtores, ne quid vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum è multitudine peccetur.* A quibus tamen eatenus receſſit potior hodie Proteſtantium pars, ut Principibus omnem ſicut Regionis ita religionis, ac in ſpecie conſtituendorum miniſtrorum curam vindicet, ſivè quod populus jus hoc tranſtulerit in Principes, ut ſic tamen ſuô modô eligantur ex conſenſu populi, ut alii rurſum cum *Pfaffio* volunt, ſivè quod jus hoc pars ſit juris Majeſtatici, illive inhæreat, ut iterum alii ſentiunt. At contra tuentur conſenſione unanimi Catholici omnes jus eligendi miniſtros Eccleſiæ, ex *jure Divino* prorſus non pertinere ad populum, neq; ad Principes, ſed quidquid juris in electione Epiſcoporum habuerunt, vel adhuc poſſident, ex Eccleſiæ vel ſummi Pontificis conceſſione eſſe unicè derivandum. Proin. *Dico*

Dico 1. Electio ministrorum Ecclesiæ non fit à solo Deo. *Contra Wiklef: & Huss:*

Prob: ex Script: ex qua constat, ab ipso Christo electum fuisse Judam Joan: 6. qui tamen minimè è numero prædestinatorum fuit, *nonne*, inquit Christus, *ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est*, quæ Christi sententia unicè Judam ferit. Adstipulantur Patres è quibus sequentes delibare sufficit *Ac 1mo.* Origines hom: 4. in lib: Judith: pluribus commonstrat, non rarò providentiam Divinam ad punienda peccata efficere, ut impii non regnis modô, sed etiam Ecclesiis regendis præsint. Idem affirmat Chrysost: hom: ult: in epist: Hebr: Augustinus l. 2. c. 4. contra epist: Parmen: Bernardus serm: 66. in cantica. Svadetur id ipsum ratione. Si solus Deus per se pastores eligeret, nesciremus quinam veri essent pastores, possetq; quilibet ambitiosus se à Deo electum jactare non sine perturbatione Ecclesiæ, sicq; talis electio nihil prorsus prodesset, ergò.

Dico 2. Jus eligendi tam summum

Pon-

Pontificem, quám cæteros Ecclesiæ pastores & ministros neq; populo, neq; Principibus jure Divino convenit; sed si quid ea in re potuerint aliquando vel possint adhuc, id vel ex conniventia, vel concessione Ecclesiæ aut Pontificum ortum est.

Prob: ex Script: Joan: 20. Christus ait: *sicut misit me Pater & ego mitto vos* h. e. volo ut vos Apostoli (hos enim alloquitur) eàdem ratione & potestate gubernetis Ecclesiam, ac ministros alios mittatis, sicut ego missus sum, & ego mitto vos; atqui inprimis Christus solius voluntate Patris missus fuit, ipseq; Apostolos elegit independenter á Concilio, suffragio consensu populi & Principum. Sic & eadem cum independentia collegit discipulos alios 72. Ergo Confirmat traditio, quæ relucet & quidem maximè ex ipsorummet Apostolorum factis, qui passim eligebant Episcopos, sine suffragio tam populi quám Principum, & magistratuum; ut tum vel ex eo constat, quod creatos á se Episcopos sæpe ad absentes & infideles populos mitterent, tum ex omni Ecclesiastica historia. Sic

Joan-

Joannem Apoſt: finitimis Epheſinæ Eccleſiæ Provinciis dediſſe Epiſcopos, ſolo Spiritûs S. inſtinctu, ſine populi vel magiſtratuum ſuffragiis, inquit Clemens Alexand: apud Euſebium hiſt: Eccl: l. 3. c. 23. *Joannes*, inquit, *ad finitimas quoq; Provincias rogatus ſe contulit, partim ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut Eccleſias formaret - - - homines ſibi à Divino Spiritu indicatos in clerum quemdam ſeu ſortem Domini ſeponeret.* Ab eodem Joanne Smyrnæorum Eccleſiæ Polycarpum datum fuiſſe Tertull: ſcribit de Præſcrip: c. 32. Nec diſſentit Irenæus, qui ab Apoſtolis Epiſcopatum accepiſſe, ait apud Euſebium hiſt: Eccl: l. 4. c. 14. ut proin nihil tribui poſſit ſpuriis Polycarpi actis, quæ illum á Bucolo Smyrnienſium Eccleſiæ præfectum dicunt, de quibus vide Card: Gotti tomo 5. de Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis c. 9. Hæc ſingula demum, ne plura referam, egregiè confirmat Clemens 1. R. P. in epiſt: ad Corint: omnium conſenſu genuina dum inquit: *Prædicantes igitur Apoſtoli per regiones ac urbes, primitias eorum Spiritu cum probaſſent, in Epiſcopos & Diaconos*

eorum,

eorum, qui credituri erant, constituerunt. Svadetur testimoniis Patrum qui posterius floruerunt, sic *Frumentium* quemdam á S. Athanasio Indorum creatum Episcopum, ipsis Indis nihil ea de re cogitantibus tradit *Rufinus lib: 10. hist:* c. 9. In Ecclesia Alexandrina á D. Marci tempore Episcopos á clericis solis electos fuisse refert S. *Hieron:* epist: ad Evagr: ergò.

Objic. 1. Act. 6. Multitudo credentium elegit septem Diaconos; ergo populus habet jus eligendi.

Resp. dist. ant. Elegit ex concessione Apostolorum, ut S. *Lucas* apertè indicat, *conc.* vi juris Divini, *nego* Id consultò permiserant Apostoli, ut tantò melius sedarent murmur exortum, & præcaverent futuro, si videlicet ii præessent mensis, & distributionibus, quos fidelis populus ad hoc præ aliis elegisset. Eadem de causa aliquando Ecclesia in electionibus Episcoporum, adhibuit suffragia & consensum populi, ut, quò gratior esset expetitus populi votis Episcopus, tantò huic promptius obediret; usq; dum experientia doceret, quantis

tumultibus, imo cædibus obnoxia esset popularis electio, ut videre est in S. *Augustino* epist. 110. & 225. ubi turbulentissimam refert seditionem popularem in *Piniani* electione; item *Ruffino* lib. 11. hist. c. 11. & ante c. 10. commotionem narrans in S. *Damasi* electione coortam, qua 137. homines in templo necati, quod idem referunt *Ammianus* Marcell. l. 27. S. *Hier.* in chronico. Deinde exemplum hoc Apostolorum non probat jus divinum populi; vel secus, ita constanter, facere debuissent Apostoli, fecissentq; sine dubio, at contrarium constat ex dictis.

Inst. Act. 1. non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Mathiam & Barsabam, ut eorum alterum DEUS assumeret; ergò.

Resp. 1. cum S. *Chrysost.* ad eum locum, id ex concessione Petri, non necessitate, exq; jure divino factum. *2do:* illa non tàm electio fuit, quàm postulatio, qua petebant à Deo eligi aliquem in Judæ locum. *3tio:* nequidem ex textu colligi clarè potest; quinam hos duos *statuerint in medio?* quinam *sortes* de-

dederint; cúm tam ad Apoſtolos, quam ad populum trahi textus poſſit. *4to*: demum *permiſſo*, quod populus hos duos ſelectos ſtatuiſſet in medio, si ab hoc exemplo eruere velint jus divinum pro populo, cur non conſequenter arguunt Adverſarii, eſſe pariter juris divini, ut electio committatur ſortibus.

Inſt. At aliunde conſtat ex ſcrip. Epiſcopos eſſe *miniſtros Eccleſiæ*, non Dominos 1. Cor. 3. 1. Petri 5. Deinde de Ecclesia dicitur, quod sit columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. igitur ſuprema jurisdictio eſt penes Ecclesiam, non Epiſcopos; igitur & ipſa eligere, & vocare miniſtros poteſt; is enim eſt jurisdictionis actus.

Reſp. ad 1. diſt. Sunt miniſtri Eccleſiæ, eò quod in officio ſubsint fidelibus, vel obediendo, *nego* quia laborant in utilitatem fidelium, vel regendo Ecclesiam, illiq; præsidendo, *conc.* Sicut & Rex dicitur ſervire Regno, regendo videlicet illud, ejuſq; utilitatem procurando, sic & Paſtores ſerviunt Eccleſiæ, ejuſq; miniſtri ſunt, regendo illam Act. 20. *in quo vos Spiritus S. poſuit Epi-*

ſco-

ſcopos regere Eccleſiam Dei. Item Hebr. 13. *Ad 2. diſt.* quia ſemper audit Petrum, vel paſtores ſuos cum capite Ecclesiæ, Petri ſucceſſore conjunctos, *con.* ſecus, *nego.* Pro Petro Dominum oraſse novimus, ne deficeret fides ejus. Hic juſſus eſt immediatè à Chriſto paſcere agnos & oves, minimè verò ullibi grex Petrum: pariter Epiſcopos ſcimus à Spiritu S. positos regere Ecclesiam Dei, non ab Ecclesia regi, ſuprema igitur jurisdictio, penes Petrum ejuſq; ſucceſſorem eſt, & cum proportione penes Epiſcopos; ergo & miniſtrorum electio atq; vocatio.

Inſt. si non eſt jure Divino poteſtas penes populum ſuos eligendi paſtores, ad quid ergo præcipit Dominus Joan. 10. non audire vocem alienorum, Matth. 7. vitare falſos Prophetas; igitur vi divini præcepti debet Chriſtianus populus eligere ſuos paſtores, ut veros poſsit diſcernere a falsis.

Reſp. Vult quidem Chriſtus populum diſcernere, Prophetam verum a falſo, at regulâ non aliâ, quam attendendo, an ille, qui prædicat, dicat contraria iis,

quæ

quæ dicebantur ab anteceſſoribus, vel iis, quæ prædicantur à paſtoribus ordinariis aliis, præſertim à ſede Apoſtolica. Unde Paulus ad Gal. 1. vult anathematizare, qui docerent nova & contraria iis; quæ evangelizata ſunt. Et verò cùm rudis ſit populus, aliter de doctrina ejus, qui ſe Prophetam vel paſtorem venditat, judicare non poteſt, unde & populo Chriſtus præcipit audire paſtores ſuos Lucæ 10. *qui vos audit, me audit.*

Objic. 2. authoritatem Concil. gener. II. quod in epiſt ad Damaſum Papam teſte Theodoreto l. 5. c. 9. ait. à ſe Nectarium Epiſc. ordinatum eſſe, *ſub aſpectu etiam Deo amabilis Imper. univerſiq; cleri, cuncta decernente pariter civitate.* Item Concilii Nicæni I. epiſt. ad Alexandrinos apud Theodor l. 1. c. 9. præcipientis ut in Clerum eligantur, si videantur digni: *& populus eos elegerit, condecernente ſimul, & deſignante maximæ Alexandrinæ civitatis Epiſcopo.* Præterea S. Leonis P. epiſt. 89. S. Ambrosii l. 10. epiſt. 82. tum aliorum quos refert Gratianus diſt. 23. 24. 62. 63. & 65. ergo.

Resp. nego consequ, nam 1*mo:* citata loca nec verbulô innuunt, quod populo competat *jure divino* jus eligendi, de quo solo est controversia. 2*do:* in plerisq; ut legenti Gratianum patebit, duntaxat fit mentio postulationis vel testimonii. 3*tio:* quod sæculo IV. ex cujus ætate plurima petita sunt, cæperint suffragia populi exposci, nemoq; negat, elegisse aliquando & populum, sicut nunc in Hispania, Gallia, & Polonia Reges, id autem ex jure Divino, neq; factum olim, neq; fit nunc, sed concessione Ecclesiastica. Vide *Boetium* de Regalibus & jure Principis de benef. Eccl. cap. 76.

ARTICULUS III.
De Ministro Sacramenti ordinis.

Duplex distingvitur minister Sacramenti ordinis, ordinarius, & extraordinarius, de utroq; est quæstio.

Dico 1. Solus Episcopus est minister ordinarius Sacramenti ordinis.

Prob. ex Script. quæ non aliis, quàm Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis jus tribuit conferendi ordines. Act.

6.

6. & 14. 2. ad Timot: 1. Conſtans traditio adſtipulatur, nam Conc. Carthag. I. anno 348. can. 5. Arelatenſe V. anno 554. c. 7. Bracarenſe anno 563. c. 8. Hiſpalenſe anno 619. c. 5. Florent. in Decreto unionis sic habent: *Ordinarius miniſter hujus Sacramenti* (Ordinis) *eſt Epiſcopus.* Et Trid. ſeſs. 23. c. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Preſbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel etiam quam habent, illis eſſe cum Preſbyteris communem --- --- anathema ſit.* Unde Concl. eſt de fide. Suffragatur ratio 1. ad ſolum Principem jure ordinario pertinet miniſteria publica diſtribuere; atqui ſolus Epiſcopus eſt in republica Chriſtiana Princeps; ergo. 2do: Poteſtas ordinandi non eſt poteſtas jurisdictionis, ſed ordinis, quam Epiſcopus accipit in ſua conſecratione; ergo illam non habet, qui non eſt Epiſcopus conſecratus.

Dico 2. Simplex Sacerdos ex commisſione Ecclesiæ ſeu ſummi Pontificis poteſt eſſe miniſter extraordinarius tonſuræ & quatuor minorum ordinum.

Prob. Concil. Nicænum II. anno 787.

c. 14. hanc facultatem concedit Abbatibus, Sacerdotibus ab Episcopo benedictis & Chor-Episcopis: Refertur cap. *quoniam* d. 69. Item *Innocentius* III. cap. *Cum contingat* extra lib. 1. tit. 14. Alexander III. cap. *Requisivit* ibidem tit. 13. dicit: quod *hujusmodi ordines à non Episcopis quandoq; conferantur*. Eadem facultas conceditur, sive ex consvetudine sive ex privilegio Cardinalibus Presbyteris. Tandem Conc. Trid. sess. 23. c. 10. de Reform. dicit: *Abbatibus & aliis quibuscunq; quantumvis exemptis ac privilegiatis non licet imposterum cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre*; ergo supponit suis Religiosis posse conferre. Quantum ad Subdiaconatum plures censent etiam posse ex commissione à simplici Presbytero, quia Gelasius epist. I. admonet Presbyteros, ut meminerint sibi nullo modo concedi *ut Subdiaconum vel Acolythum ordinent absq; Rom. Pontificis permissione*. Ergo ea permissione accedente possunt. Refertur etiam privilegium concessum Cisterciensibus, de quo mox. De Diaconatu major est difficultas. Non posse

ſe conferri ex diſpenſatione à simplici Presbytero,cenſent S. *Thomas* & *Scotus*, communiter antiqui Scholaſtici cum pluribus junioribus. Poſſe conferri affirmant etiam plures Recentiores fundati præſertim in privilegio, quod dicunt conceſſum Abbati Ciſterciensium ab *Innocentio* VIII. anno 1489. Verum alii Bullam hujus privilegii eſſe multis titulis dubiæ fidei reſpondent. Quantum ad Presbyteratum & Epiſcopatum communiſſima eſt S. *Thomæ* ſententia,quod non poſſit ex diſpenſatione conferri à simplici Sacerdote, quia in tota retro antiquitate nuſquam & nullibi legitur Eccleſiam, quoad alterutrum diſpenſaſſe; cum tamen non defuerint occasiones, & ſæpe urgeret neceſſitas, maximè tempore perſecutionum; cúm Epiſcopi vel interficiebantur, vel incarcerebantur, vel exulabant.

ARTICULUS IV.

De Epiſcopatu.

Aerius ſæculo IV. ægrè ferens repulſam, ab Epiſcopatu quem ambierat, ut ſe ſolaretur, contendit, nullum

eſſe

eſſe jure Divino diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros. De quo *Epiphanius* hæresi 75. & *Auguſt:* l. de hæresibus c. 53. Similiter *Wiklef* ſpe fruſtratus obtinendi Epiſcopatum Vigorniensem, eandem inſaniam adoptavit, ut ſcribit *Thomas* Valdensis l. 2. doctrinæ fidei a. 3. horum veſtigia premit *Calvinus* l. 4. inſtit. c. 4. cui adhærent Puritani ſeu Presbyteriani in Anglia, pro quibus *Blondellus* Calviniſtarum miniſter prolixam inſtituit diſputationem, quam inſcripsit, *Apologia S. Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris.* Hunc enim S. Doctorem vel invitum in ſuas partes trahere conantur.

Obſerva quæſtionem eſſe de jure Divino, non enim negant Hæretici Epiſcopos preminere Presbyteris jure humano, sive tanquam primogeniti, qui fuerunt prius admiſſi in clerum; sive sicut Princeps electus eſt ſuperior civibus ex eorum electione & inſtitutione; unde plures ex noſtris fruſtra congerunt argumenta, quibus probant simpliciter eminentiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros, non diſtingventes inter jus Divi-

num & humanum; insiſtendum eſt ergo juri Divino. Duplex in Epiſcopo diſtingvitur poteſtas, una *Ordinis*, qua non ſolum Sacramenta conficit, & adminiſtrat, ſed etiam fideles confirmat, chryſma conficit, ſacerdotes & alios miniſtros conſecrat &c. Altera *jurisdictionis*, tam in foro interno, qua ligat & abſolvit à peccatis; quàm in foro externo, qua regit Ecclesiam, dogmata definit, diſciplinam ſancit, ~~mores~~ corrigit, refractarios coercet &c. Eſt enim jurisdictio exterior poteſtas, dicendi jus in alterum etiam invitum. De utraq; poteſtate quæſtio eſt.

Dico 1. Epiſcopi ſunt ex inſtitutione Divina ſuperiores Presbyteris poteſtate ordinis & jurisdictionis.

Prob. utraq; pars. Juxta Trid. ſeſs. 23. c. 6. *In Eccleſia eſt Hierarchia divinâ ordinatione inſtituta, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris.* Idem docent SS. Patres & Concilia. Et eadem ſeſs. cap. 4. dicitur: *Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt ad hanc Hierarchiam præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut ait Apoſt. a Spiritu S. regere Eccleſiam Dei,*

eoſq;

eosq; esse Presbyteris superiores, ac Sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare. Et c. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Ex his constat: quod quamvis Concilium non dicat expresse, Episcopos Presbyteris esse superiores jure divino, id tamen apertè indicat: tum quia dicit Hierarchiam esse ex institutione Divina, & Episcopos præcipue ad illam pertinere, quatenus positi sunt à Christo, ut regant Ecclesiam, & conferant Confirmationem, & ordines, in hisq; sunt superiores Presbyteris, quibus hæ prærogativæ non competunt, quod est apertè dicere eos ex institutione Divina Presbyteris superiores; tum quia Synodus non definiret tanquam fidei dogma, Episcopos præeminere Presbyteris, si hanc præeminentiam haberent ab hominibus; ergo.

Dico 2. Episcopatus inadæquatè sumptus pro eo, quod addit simplici Sacerdotio, probabilius non est ordo strictè

sum-

ſumptus, ſeu Sacramentum Ordinis, nec conſequenter ordo diſtinctus à Sacerdotio, ſed ejus extensio & perfectiſſimum complementum.

Prob. Trid. ſeſs. 23. c. 2. recenſendo ordines, ſeptem tantum numerat, & nominat, ommiſſo Epiſcopatu; & can. 2. loquitur de Sacerdotio tanquam ſupremo ordine, ad quem per alios ordines aſcenditur: *ſi quis*, inquit, *dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines majores & minores, per quos velut gradus quosdam in ſacerdotium tendatur, anathema ſit*: atqui si Epiſcopatus eſſet ordo dictinctus à Sacerdotio, non tantùm forent ſeptem, nec apparet ratio cur Concilium illum omisiſſet; item nec Sacerdotium foret ordo ſupremus, ſed Epiſcopatus; ergo.

Objic. 1. contra 1. Concl. Juxta Script. idem eſt Epiſcopus ac Presbyter; ergo. *Prob. ant.* Paulus ad Philip. 1. ſalutat Epiſcopos & Diaconos, ubi per Epiſcopos intelligit Presbyteros non enim in una civitate erant plures Epiſcopi. Idem ad Timot. 1. cum illi dixiſſet: *reliqui te Cretæ ut - - - conſtituas per civitates*

Pre-

Presbyteros, statim ſubjungit: *oportet Epiſcopum sine crimine eſſe.* Et Act. 20. cúm vocaſſet ad ſe *Majores natu Eccleſiæ*, id eſt, Presbyteros, ipſos alloquens appellat Epiſcopos: *attendite*, inquit, *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ergo.

Reſp. diſt. ant. Juxta Scrip. idem eſt Epiſcopus ac Presbyter quo ad nomen, *conc.* quo ad gradum & poteſtatem, *nego.* Quamvis ergo dignitates, gradus, poteſtates, & officia Epiſcoporum & Presbyterorum fuerint ſemper diſtincta, nomina tamen eorum initio Ecclesiæ erant communia, ita ut Epiſcopi quandoq; vocarentur Presbyteri, & Presbyteri Epiſcopi. Hinc Chryſoſt. expendens illa verba epiſt. ad Philip. *cum Epiſcopis & Diaconibus. Quid hoc?* inquit, *unius urbis multi erant Epiſcopi? nequaquam, ſed Presbyteros appellavit: tunc enim adhuc communicabant nominibus; procedente verò tempore, proprium cuiq; diſtributum eſt nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appelletur.*

Inſt. Epiſcopus poteſt ordinari à Presby-

ſbytero, ut patet de Timoth. 1. ad Timoth. 4. ubi dicitur ordinatus per manum Presbyterii; ergò par eſt Presbyteri & Epiſcopi poteſtas.

Reſp. nego ant. Presbyterium enim intelligitur cætus Epiſcoporum ſeu Presbyterorum, qui præter ordinem Presbyteralem, etiam epiſcopalem habeant. Ita *Chryſoſt.* qui hom. 13. in 1. Timot. dicit: *Presbyterium non intelligendum eſſe de Presbyteris ſed de Epiſcopis; non enim Presbyteri Epiſcopum ordinaverant.*

Inſt. Presbyteri baptizant, conſecrant, interſunt conciliis, interdum etiam ordinant & confirmant; quod ergo inter eos & Epiſcopos diſcrimen? Item juxta *Auguſt. Hieronym. Iſido.* hoc eſt diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum, quod nomen Epiſcopi ſit nomen officii, nomen autem Presbyteri nomen ætatis. Deniq; *Auguſt.* Epiſc. epiſt. 82. olim 19. non audet ſe præferre *Hieronymo* ſimplici Presbytero; ergò.

Reſp. ad 1. Presbyteri baptizant, conſecrant, ſed non generant alios Presbyteros, inquit, *Epiphanius*, quod ſi generent miniſtros inferiores, & confirment

ba-

baptizatos, id non faciunt poteſtate ordinaria sicut Epiſcopi, ſed ex diſpenſatione & comiſſione. Interſunt Conciliis non jure ſuffragii & decisionis; & ideo non ſubſcribunt decretis Conciliorum, nisi sint miſſi ab Epiſcopis; ſed jure conſultationis, atq; ut fidem adſtruant, ac defendant. *Ad 2dum:* Laudati Patres rectè explicant horum nominum etymologiam; Epiſcopus enim idem eſt ac inſpector ſeu ſuperintendens, quod eſt officii; Presbyter idem ac ſenior, quod eſt ætatis; at aliud eſt id, à quo nomen imponitur; aliud id, ad quod significandum imponitur. *Ad 3tium:* Auguſtinus non audet ſe comparare Hieronymo, non quo ad dignitatem Epiſcopalem, ſed quo ad ætatem, eruditionem, & ſánctitatem, quod ejus humilitati tribuendum eſt.

Objic. 2. Secundum plurium ſententiam: Epiſcopus accipit jurisdictionem à Papa; ergò non eſt jure Divino Presbyteris ſuperior ſaltem quantum ad jurisdictionem.

Reſp. nego conſequ. Eſto enim Epiſcopus accipiat ſuam jurisdictionem imme-

mediatè à Papa, de quo non eſt quæſtio, non ſequitur quod Chriſtus non sic inſtituerit, ut Epiſcopus majorem à Pontifice jurisdictionem accipiat, quàm Presbyter, sicq; eſt ex inſtitutione Divina Presbytero ſuperior, etiam quo ad jurisdictionem. Hanc autem jurisdictionem accipit Epiſcopus, quando ex Apoſtolicæ ſedis licentia ordinatur.

DIGRESSIO HISTORICA

De Epiſcopabus, Presbyterabus, Diaconiſsis, & Sub-Diaconiſſis.

Petes 1. Quæ fuerint olim Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconiſſæ, & Subdiaconiſſæ, de quibus apud veteres eſt frequens mentio?

Reſp. Vario ſenſu sic dictas fuiſſe; *1mo*: sic dictæ ſunt, quæ erant uxores eorum, qui aſſumebantur ad Epiſcopatum, ad Presbyteratum, ad Diaconatum, & Subdiaconatum. Ita vocantur in Concilio *Turon.* II. anno 568. c. 13. in Concil. *Antiſſiodorenſi* anno 578. c. 21. apud S. *Greg.* l. 4. Dialog. c. 11.

In

In conc. *Rom.* anno 721. c. 1. Hæ autem tenebantur ſe recipere in monaſterium, & ibi profiteri, aut si manerent in ſæculo, vovere caſtitatem. Ita Conc. Antiſſiod. citatum, Rom. & plura alia. 2*do*: Presbyteræ, quandoq; dicebantur *Viduæ Seniores;* Præsbyter enim eſt ſenior. Ita Concilium *Laodicenſe* cap. *Mulieres* diſt. 32. & S. *Thomas* hic q. 39. a. 1. 3*tio*: Diaconiſſæ præſertim de quibus eſt frequentior mentio dicebantur, quæ ad certa munia Eccleſiaſtica alicujus ordinis functionibus affinia deputabantur.

Petes 2. Quæ erant Diaconiſſarum miniſteria ?

Reſp. 1*mum* erat ſubſervire Epiſcopo vel Presbytero baptizanti mulieres, ut modeſtè nudarentur, & cautè operirentur, ne paterent aſpectui baptizantis. Ex l. 8. Conſt. Apoſt. c. 28. & S. Epiph. hær. 79. 2*dum*: Aperire & claudere januam Eccleſiæ, per quam mulieres intrabant Eccleſiam. Conſt. Apoſt. ibidem. 3*tium*: comitari mulieres, quas Diaconum vel Epiſcopum adibant; nulli enim mulieri sine Diaconiſſa ad eos

ac-

accedere licebat: Ibidem l. 2. c. 26. 4*tum*: Rudibus mulieribus rudimenta fidei, & ritus baptiſmi exponere. Ex Conc. Carthag. IV. can. 12. 5*tum*: Mitti ad Chriſtianas mulieres conſolandi & ſublevandi gratia. 6*tum*: habere curam pauperum viduarum ex Apoſt. Rom. 16. Quædam alia referuntur, ſed hæc ſunt præcipua.

Petes 3. Quæ mulieres aſſumebantur ad munus Diaconiſſæ?

Reſp. Aſſumebantur viduæ probatæ, unius viri, & virgines ex Conſt. Apoſt. l. 6. c. 17. Viduæ ſexagenariæ ex Apoſt. 1. ad Timoth. 5. & virgines quadragenariæ ex Concil. Calced. c. 15. Quia majus eſt periculum in junioribus viduis matrimonium expertis, quam in virginibus in expertis. Frequentius viduæ quam virgines, quia illæ erant magis aptæ pluribus muniis Diaconiſſarum quam iſtæ.

Petes 4. An aliquo ritu Diaconiſſæ conſecrarentur?

Reſp. *Affirmat*. Qui tamen ritus non erat ordinatio propria & Sacramentalis.

Prob.

Prob. *1ma pars* *1mo:* Ex Conſtit. Apoſt: lib. 8. c. 19. & 20. ubi præſcribitur forma ordinandi Diaconiſſas cum impoſitione manuum Epiſcopi, præſentibûs Presbyterîs, Diaconîs & Diaconiſſis & cum oratione. *2do:* ex Concil. Calced. c. 15. ubi fit mentio impoſitionis manuum in ordinatione Diaconiſſæ. *3tio:* ex Euchologiis Græcorum in quibus etiam referuntur certi ritus conſecrandi Diaconiſſas. *Secunda pars conſtat 1mo:* ex Conc. Laodic. c. 11. ubi vetatur mulieres *In Eccleſia tanquam ordinatas conſtitui.* Ex Concil. Epaunenſi anno 517. c. 21. & Conc. Arel. 11. c. 17. *2do:* ex hoc, quod nunquam Diaconiſſæ *ad Sacerdotii functionem aut aliam hujuſmodi adminiſtrationem* admiſſæ ſint, inquit S. *Epiph.* hær. 79. ſicut Diaconi admittuntur. *3tio:* Quia ſexus fæmineus eſt incapax ordinationis Sacramentalis.

Quando ergo veteres vocant quandoq; hunc ritum *Ordinem* ſeu *Ordinationem*, ſumunt Ordinem vel ordinationem impropriè pro cæremonia Eccleſiaſtica, ſeu benedictione qua Diaconiſſæ ad Eccle-

siaſtica miniſteria deputabantur. Nec obſtat, quod Euchologia Græcorum referant, ea peragi in ordinatione Diaconiſſæ, quæ peragi ſolent in ordinatione Diaconi: Eſto: deeſt capacitas ex parte ſubjecti, & intentio ex parte miniſtri.



DISSERTATIO VIII.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium eſt & contractus civilis in officium naturæ, quam propagat & conſervat; & Sacramentum novæ legis gratiam conjugibus conferens, ad proles Chriſtianè educandas, & ad ſuſtinenda matrimonii onera. Ut eſt in officium naturæ communiter definitur ex Magiſtro ſententiarum: *Viri mulieriſq; conjunctio maritalis inter legitimas perſonas, individuam vitæ ſocietatem reti-*

nens; quibus particulis, si addas, *& gratiam conjugibus conferendam ſignificans,* habebis definitionem matrimonii, ut eſt Sacramentum novæ legis. Explicatur definitio: dicitur *conjunctio*: & hæc particula tenet locum generis, cæteræ particulæ tenent locum differentiæ. Dicitur *maritalis*, ut diſtingvatur ab aliis conjunctionibus viri & mulieris, puta filiali, fraterna, negotiationis. &c. Dicitur *viri & mulieris*, quo deſignatur ſubjectum matrimonii, & quidem viri & mulieris in ſingulari, ut excludatur polygamia. Dicitur *inter legitimas perſonas*, id eſt, inter perſonas habiles ad contrahendum, quæ nullo impedimento ſunt irretitæ. Dicitur *individuam vitæ ſocietatem retinens*, id eſt, perpetuam & indiſſolubilem; matrimonium enim ſola morte unius conjugis, non conſenſu partium, ut alii contractus, ſolvi poteſt. Dicitur *gratiam conjugibus conferendam ſignificans*, practicè ſcilicet & efficaciter, quod eſt proprium Sacramentis novæ legis.

AR-

ARTICULUS Unicus.

An Matrimonium ſit Sacramentum novæ legis propriè dictum?

Negant Lutherani, & Calviniſtæ matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis propriè dictum. Magiſter ſententiarum quamvis annumeret matrimonium Sacramentis novæ legis, ipsi tamen denegat vim cauſandi gratiam. Durandus non agnoſcit ipſum, nisi ut Sacramentum latè ſumptum pro signo rei ſacræ. Hi duo ſcripſerunt ante definitiones ſolemnes Ecclesiæ in Conciliis Conſtantiensi, Florentino & Tridentino, quorum ideo opinionem Doctor Angelicus non impugnat ut hæreticam, ſed tantùm, ut minus probabilem.

Dico. Matrimonium in lege nova eſt verè & proprie dictum Sacramentum.

Prob: 1. ex Script: Apoſt. Epheſ: 5. dicit: matrimonium eſſe Sacramentum, ſeu ſignum conjunctionis Chriſti cum Ecclesia, & ibi loquitur de conjunctione non ſolùm naturali per Incarnationem, quæ eſt communis toti generi humano, ſed etiam de conjunctione morali per

gratiam & charitatem, quæ eſt propria Eccleſiæ; dixerat enim prius, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*; atqui matrimonium non poſſet eſſe ſignum hujus unionis moralis, niſi conjuges uniat non ſolùm vinculô carnali, ſed etiam gratiâ & charitate, conſequenter niſi ſit ſignum practicum & efficax gratiæ, quod eſt Sacramentum ſtrictè dictum; atq; ita ratiocinatur *Trid: ſeſſ: 24.* c. unico de matrim. Item *Joan*: 2. Chriſtus invitatus ad nuptias, illas inſigni miraculô approbavit atq; illis benedixit eis conferendo vim cauſandi gratiam. Ita tradunt SS. Patres *Cyrillus* epiſt: ad Neſtorium á Patribus Epheſ: confirmata p. 1. act: c. 26. dicit: *Chriſtum diſpenſatorie ipſis tunc benedixiſſe nuptiis, cum in Cana Galileæ cum Sanctis vocatus eſt.* Idem l. 2. in Joannem ſcribit, Chriſtum ad nuptias veniſſe, *ut illas ſua præſentiâ honeſtaret, & veterem partûs triſtitiam depelleret, iiſq; quoq; qui poſtea naſcituri erant, gratiam præſtitueret*, Epiph: hær: 67. *Nam*, inquit, *venerabiles eſſe nuptias, & Dei aſpirante gratiâ regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator*

vator ipſe fuerit, ut iis benediceret. Aug: tract: in Joan: c. 2. *Per hoc ergò*, inquit, *Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur Sacramentum nuptiarum.*

Prob: 2. Trad: Tertul: de Præſcript: c. 4. dicit Diabolum æmulari: *res divinorum Sacramentorum in idolorum myſteriis*; tingere ſuos, frontibus obſignare, mitra condecorare, panem offerre, id eſt: imitari Sacramenta baptiſmi, confirmationis, ordinis, & Euchariſtiæ; tum addit: *quid? quod & S. Pontificem in unis nuptiis ſtatuit.* Ubi *Tertullianus* Sacramentis propriè dictis matrimonium annumerat. *Ambroſ:* l. 1. de Abraham c. 7. *Cognoſcimus*, inquit, *præſulem cuſtodemq; conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui; & ſi qui fecerit peccare in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvat; & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.* Siricius Papa epiſt: 1. c. 4. vocat violationem matrimonii à Sacerdote benedicti, ſacrilegium. Auguſt: l. 1. de nuptiis & concup: c. 10. l. 5. contra Jul: c. 12. l. de bono conjugali c. 24. duo diſtingvit in matrimo-

niis

niis infidelium, nempè finem, qui eſt generatio prolis; fidem, tertium autem addit in matrimoniis fidelium, ſcilicet Sacramentum. *Bonum igitur nuptiarum,* inquit ultimo loco citato, *per omnes gentes atq; homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in Sanctitate Sacramenti.* Evidens eſt, quod ſumat ſtrictè Sacramentum, cùm illud deneget matrimoniis infidelium, quæ tamen habent rationem Sacramenti latè ſumpti, pro ſigno unionis Chriſti cum natura humana per Incarnationem, & eodem libro de bono conjugali cap: 18. matrimonium vocat: *Sacramentum & ſignaculum;* & caput ſic concludit: *in noſtrarum quippe* mulierum *nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Plura alia tum Auguſtini, tum cæterorum Patrum teſtimonia, brevitatis causâ ommitto. Hanc traditionem firmant varia concilia. Lucius III. qui florebat ſæculo III. in Concilio Veronæ habito, anathema dicit omnibus, qui de baptiſmo, Euchariſtia, confeſſione, matrimonio, vel reliquis Sacramentis aliter ſenſerint, quàm ſacro-ſan-

cta

cta Rom: Ecclesia. Concil. Constantiense sess: 15. & in Bulla Martini V. *inter cunctas.* Florentinum in decreto unionis, agnoscunt matrimonium, ut Sacramentum novæ legis, ac deniq; Concil: Trid: sess: 7. c. 1. annumerat matrimonium septem Sacramentis. Et sess: 24. c. 1. sic definit: *si quis dixerit matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neq; gratiam conferre, anathema sit:* ergò.

Objic: 1. Conjugium, ut Sacramentum, non fundatur in Divinis Script: ergò. *Prob: ant:* Si fundaretur maximè in his Apost: ad Ephes: 5. verbis: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia;* sed ex his verbis hoc colligi non potest. *Probatur* 1*mo*. in Græco qui est primigenius textus non habetur *Sacramentum sed mysterium.* 2*do*. *magnum* referri non potest ad desponsatos, tùm quia sunt quid respectu Christi & Ecclesiæ minimum; tùm quia unio viri cùm fæmina est quid naturale. 3*tio*: Apost: dicit in Christo & in Ecclesia, nusquam verò in quocumq; textu in viro

&

& fæmina; ex quo manifestè sequitur matrimonium non esse Sacramentum.

Resp: 1. Apostolum eò loci celebrare conjunctionem viri cùm fæmina, ut quid plusquam naturale; alias nihil haberet eorum unio, supra vel ipsas belluas, quæ ad speciei suæ conservationem per multiplicationem individuorum conjunguntur; imò loquitur de signo gratiæ efficaciori, signo matrimoniali veteris legis, maximè cùm istud esset solum in officium naturæ, & præter figuram nihil haberet; cùm igitur veritas in nova lege sit facta per Christum, dicendum est ex mente Apostoli, matrimonium in nova lege esse Sacramentum, cujus figura præcessit in veteri, quæ novam adumbrabat. Hujusce loci interpretem habemus *Ambrosium*, *Hieronymum* *Gregorium* Nazian: *Chrysostomum* & alios.

Resp: 2. *nego ant*: 1. *arg*: & *min*: 2. *ad istius prob*: *dist*. Et mysterium apud Græcos idem est ac Sacramentum; *conc*: non est; *nego*. Quod autem Apost: ibi loquatur de Sacramento non vacuo, sed propriè dicto, ex antecedentibus judicandum est, hæc sunt priora verba: *viri diligite*

uxo-

uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus, propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.

Ad alteram prob: diſt: Magnum: referri non poteſt ad matrimonium materialiter ſumptum, & ut eſt in officium naturæ, *conc:* formaliter ſpectatum, *nego* Conjugium poteſt conſiderari dupliciter, nimirum materialiter, & formaliter. Matrimonium priori modô ſpectatum, eſt contractus naturalis & civilis; & ſub hoc reſpectu quid naturale. Poſteriori verò modô, eſt conjunctio cordium in fide Chriſti & Eccleſiæ, ſub quo quidem re-

ſpe-

ſpectu ſignificat unionem Chriſti cùm Eccleſia, & conſequenter eſt quid magnum; quandoquidem nedum belluarum inter ſe ſocietatem, ſed cæterorum hominum, qui non ſunt de corpore Eccleſiæ, conjunctionem in immenſum ſuperet. *Ad tertiam ejusdem argumenti Prob: diſt*: Apoſtolus ait: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, ita ut unio Chriſti cùm Eccleſia ſit terminus ſignificatus per conjugium fidelium, *conc*: ut ſit ſubjectum magnitudinis, quam eò loci celebrat Apoſt: *nego*. Non enim hic mentionem facit de magnitudine & Eccleſiæ & Chriſti, ſed matrimonii fidelium, quorum quidem conjunctio non præcellit conjunctioni Eccleſiæ cùm Chriſto, quam ſolùm ſignificat, ſed conjunctioni Paganorum & Hæreticorum, propter gratiam quam præſefert, & annexam habet. Hujus ſolutionis pondus affulget ex textu græco, ubi non habetur: *ego dico in Chriſto & in Eccleſia*, ſed *in Chriſtum & in Eccleſiam*. Igitur vox illa *magnum* non de Chriſto & Eccleſia, ſed de Chriſtianorum conjunctione dicitur.

Inſt: Apoſt: eo loci laudat iſta Gen:

2. verba: *quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Sed iſta verba dubiò procul de matrimonio Adam & Evæ in officium tantummodo naturæ intelliguntur; ergo & illa: *Sacramentum hoc magnum eſt &c.*

Reſp: ad prob: diſt: Apoſt: laudat Geneſeos verba de matrimonio naturali Adam cùm Eva tanquam de figura, quæ præceſſit conjungium ut Sacramentum, *conc:* tanquam de exemplo per omnia ſimili, *nego.* Ultrò fatemur conjunctionem Adæ cùm Eva fuiſſe in officium naturæ, ſed tamen figuram matrimonii Chriſtianorum, quatenus utrumq; Deum habet authorem; ſed veritas plura dicit, quàm figura. Igitur nuptiæ Chriſtianorum habent hoc ſupra conjugium Protoparentum, quod ſint Sacramentum: quod quidem patet ex antecedentibus imo & conſequentibus. Apoſt: quippe iſta verba: *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:* non dixit de primorum parentum conjunctione, cùm neuter haberet patrem & matrem, ſed

de

de conjunctione indissolubili conjugatorum novæ legis, *& adhærebit uxori suæ*, adeoq; Sacramentali; cùm matrimonium in officium naturæ, inquit V. *Bellarm*: l. 1. de Sacram: Matrim: c. 2. & post ipsum *Isambertus* disp: 3. de Matrim: a. 1. vinculum indissolubile annexum non habeat. Hanc autem prærogativam affixit Christus soli, novæ legis, conjugio, his verbis Matth: 19. *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, hoc est: ut interpretantur SS. Doctores, quod Deus gratia Sacramentali conjunxit, solvi absq; crimine non potest.

Insist: Ipse DEUS conjunxit Adam & Evam, eisq; utiq; benedixit; quinimò juxta constantem Sanctorum Patrum doctrinam, conjunctio Adæ cùm Eva, Christi præfigurabat cum Ecclesia unionem, & tamen non erat Sacramentum; ergò similiter.

Resp: *nego conseq*: *& parit*: Ratio discriminis non una est. *1ma*: quidem Deus ut author naturæ fuit causa conjunctionis Adæ cum Eva, causa verò Sacramenti matrimonii ut author gratiæ, nempè per Christum filium suum dilè-

ctum

ctum, qui & gratia ſua illud indiſſolubile fecit. 2*da*: Deus quidem benedixit Proto-parentes, ſed largâ quadam benedictione, ſcilicet ad multiplicationem, ſicut cæteras benedixit creaturas; hoc eſt; dedit eis virtutem ſeſe in multiplicatione individuorum abſq; impedimento conſervare, ſic enim habetur Gen: 1. 3*tia:* conjunctio Proto parentum erat quidem ſignum unionis Chriſti cùm Eccleſia, ſed tantummodo ſpeculativum; quandoquidem ante Chriſtum teſte Apoſt: 1. Corint: 10. cuncta contingebant in figuris; at non ſic conjugium in nova lege; eſt enim ſignum practicum gratiæ, cujus rei argumentum eſt, quod illud ſolum vocetur Sacramentum, non quidem merè ſpeculativè, & pro Eccleſia futura, ſed in ipſo Chriſto & Eccleſia præſenti, juxta illud Apoſt: ad Ephes: 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hoc ipſum non obſcurè confirmat idem Apoſt: 1. Tim: 2. ubi loquens de muliere ait: *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cùm ſobrietate.* Citra dubium eſt S. Paulum non

de

de alia ſanctitate loqui, quam de ea ſanctificatione, matrimonii celebratione, & ſacris cæremoniis ac benedictionibus habita.

Inſt: Si conjugium dicendum eſſet ſanctum intrinſecè, maximè ex eo, quod dicatur donum Dei, 1. Corint: 8. ſed nomine doni intelligitur eo loci donum in quadam generali ſignificatione acceptum, quô ſenſu virginitas dicitur donum Dei, quæ tamen non ſemel eſt quid merè naturale, cum inveniatur apud Paganos, non ſecus ac apud Chriſtianos; ergò.

Reſp: *nego min*: Tametſi virginitas quandoq; ſit quid naturale, ut in frigidis & infirmis contingit, eo tamen loci Apoſt. loquitur de ea, quatenus eſt magnum Dei donum, teſte enim *Salomone* Sap: 8. nemo ſecluſâ gratia Dei ſpeciali, exorbitante & colaphizante ut plurimum concupiſcentia, poteſt eſse continens. Porro S. Paulus ibi ſermonem habet de virginitate illa, quæ adverſante carne ſervatur: quocirca de ea præceptum dare œqvum non judicat, ſed relinquit cuilibet pro arbitrio juxta gratiæ menſuram ſervari. Hinc cæli-

batum

batum & ſtatum conjugalem exponit, utrumq; dicit Dei donum, ſed virginitatis majus. Verba ſingula ponderanda ſunt: ſi enim virginitas ex eo verè & intrinſecè donum Dei eſt, & matrimonium cum ea in dono aſſimilet, non poteſt negari iſtud eſſe novæ legis Sacramentum.

Objic: 2. Unum Sacramentum non opponitur alteri; atqui ordo opponitur matrimonio; ergò.


Reſp: Sacramentum ordinis non opponi matrimonio, ſiquidem Sacerdotes Græci utuntur matrimonio; ſed in Eccleſia latina conjugati arcentur ab ordinibus, non ratione Sacramenti, ſed ratione ſtatûs conjugalis, qui adfert varia impedimenta functionibus Sacerdotii.

Atq; hæc pauca dicta ſint de Sacramentis, in quibus exponendis ſi quid incautius, minuſvè ſanum excidiſse deprehendatur, pro revocato & non dicto habeo, ac infallibili Eccleſiæ judicio ſubjicio.

Ad M. D. Gloriam.







TRACTATUS
DE RE
SACRAMENT